# De Apulei studiis Plautinis.

A. H. J. V. M. DESERTINE.

# De Apulei studiis Plautinis.

# Dissertatio litteraria inauguralis

# De Apulei studiis Plautinis

quam

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**JANI DE LOUTER**

amplissimi senatus academici consensu

ET

nobilissimae facultatis philosophiae et litterarum decreto

# pro gradu doctoratus

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

in Academia Rheno-Trajectina

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

facultatis examini submittet

**ADOLPHUS HENRICUS JOSEPHUS VICTOR MARIUS DESERTINE,**

**HARLEMENSIS,**

**Kalendis Novembribus A. MDCCCXCVIII hora IV P.M.**

NEOMAGI,

apud W. FELLINGA.

MDCCCXCVIII.

*Uxori coniunctissimae.*

Dulci mihi perfungendum est officio.

Tibi, clarissime van der Vliet, promotor aestumatissime, gratias ago quam maximas pro omnibus beneficiis, quibus Tibi me devinctum scio.

Quamquam Tuis lectionibus auditorem adesse mihi non contigit, tamen et doctrina et benevolentia Tua mihi praesto fuisti.

Noli credere me umquam Tuorum erga me meritorum immemorem fore.

# Praefatio.

Apuleium in componendis operibus multa ab aliis scriptoribus mutuatum esse, Oudendorpius jam vidit, qui ad librum IV suae metamorphoseon editionis pag. 246 dicit: „Apuleium nihil sine exemplo scripsisse." Eum multa hausisse ex priscorum temporum scriptoribus, ut fere quaque pagina verba vel enuntiationes legentibus occurrant, quae tam solutae quam pedestris orationis scriptorum antiquorum opera in memoriam reducant, inter omnes, qui Apulei scriptis operam impenderunt, jam dudum convenit ([1]).

([1]) Ruhnkenius in praefatione editionis Oudendorpianae scribit: „tantum afuit ut sibi in hoc genere (imitatione scriptorum ex ultima antiquitate repetitorum) temperaret ut potius e casca vetustate eam orationem conflaret." Numquam praetermittit occasionem Plauti linguam cum Apulei comparandi.

Hildebrandius identidem monet plures formulas comicis tantum proprias ab Apuleio ex Plauto desumptas esse (Vide ejus editionis Apuleianae tom I pag. 24, 32, 68 et passim).

Illud studium antiquitatis Apuleius in universis suis operibus ostendit. Apuleium enim aliud opus alio genere dicendi scripsisse, quae fuit opinio nonnullorum doctorum virorum (¹), id credo minus recte ab iis observatum esse, idque etiam ex hoc libello perspicuum fore spero. Nam in enumeratione nostra vocabulorum Plautinorum exempla ex omnibus Apulei scriptis maioribus petita sunt, neque opuscula philosophica, quae quidem ab Apuleio vere confecta esse inter omnes constat, in hac perscrutatione nobis inutilia erant. (²).

Neque tamen hoc contendo in materiae discri-

---

Erdmann (de L. Apulei Madaurensis elocutione progr. Stendal 1864), cuius mihi libellum inspicere non contigit (sequor igitur Kretschmannum v. c. de Erdmanno judicium ferente) suae dissertationi etiam indicem vocabulorum Plautinorum adjecit.

Kretschmann (de latinitate L. Apulei Madaurensis Regimonti 1865) pag. 17 scribit: non infitiamur totos refertos esse libros veteris consuetudinis vocibus proprietatibusque.

Piechotta (Curae Apuleianae. Vratislaviae 1882) pag. 4: in libris Apulei vere multa vocabula inveniuntur, quae vetustissimis scriptoribus usitata ab auctoribus optimae latinitatis respuebantur.

Koziol (Der Stil des L. Apuleius Wien 1872) in praefatione suae dissertationis: durch den Gebrauch poëtischer und archaistischer Worte und Wendungen, durch seltsame Wortstellungen u. dgl. kitzelt der Autor den Gaumen der Hörer und Leser.

(¹) Conf. Teuffel. Röm. Litt. gesch. ed. L Schwabe pag. 654 sub 6.

(²) Quod Ieltsch (De Apulei Floridis Vratislaviae 1868) demonstravit de stilo Floridorum cum Metamorphosibus comparato, id facile et de Apologia et de scriptis philosophicis demonstrari posse mihi videtur.

mine, scribendi discrimen apud Apuleium nullum exstare, id tamen pro certo statui potest eum in verborum suppellectili in omnibus scriptis semper sibi constitisse.

Sed redeamus unde egressi sumus. Iam prioribus temporibus viri docti judicaverunt linguam Apulei multis rebus cum Plautina maxime oratione congruere. Verba ex eius scriptis desumpta, prisca vocabula, verborum conformationes compositionesque Apulei editores et commentatores ad eam opinionem adduxerant. Beroaldus, Pricaeus, Oudendorpius commentarios suos in Apulei scripta oppleverunt locis comparativis e Plauti fabulis petitis. Nostri auctoris scripta perscrutati sunt, multa inventa et collecta sunt, quae optime Plauti genere dicendi explanarentur. Ab eo inde tempore Plautus multum profuit ad textum Apulei melius statuendum. Multa quae in libris Apuleianis antea oppugnata erant ex Plauti fabulis vel mutata vel stabilita sunt. Lubet unum alterumque exemplum afferre.

Ex libris manuscriptis antea Apul. met VIII. 23. edebatur „plenissime". Palmaria fuit emendatio Lipsii pro „plenissime" scribentis „paenissime" comparato loco Plautino Aul. 466.

Apul. met. I. 22: „intro capessit" van der Vliet e lectione optimorum codicum (capessum F, capessit Urb. capescit Vat.) dat „capessit," cum Oudendorpius, quem secutus est Eissenhardt „facessit" scripsisset. Optime „capessit," quo nihil est certius ex Plauti Rud. 179.

Sed et hodie post tot tamque insignes in Apuleio labores credo hic illic Plautum viam monstrare posse, qua ad meliorem lectionem pervenire possimus. Ex meis, quas in margine exemplaris adscripsi, annotationibus, unam publici juris faciam.

In Apul. met lib. V c. 6. leguntur verba: „sic ille novae nuptae precibus veniam tribuit et insuper, quibuscumque vellet eas auri vel monilium donare concessit." Traube vocem „donare" jam mutavit in „donis ornare," van der Vliet codices secutus est, quamquam mea saltem opinione genitivi „auri" et „monilium" substantivo, unde pendeant, indigent. Num audacius egero, si proponam ante „donare" substantivum „donis" inserere exemplo Plauti, qui scribit Amph. 137: quo pacto sit donis donatus plurimis (confer etiam Plaut. Stich. 656), praesertim cum certum sit, Apuleium multum indulsisse talibus sermonis flosculis, quales sunt „donis donare."

Fuerunt tamen, qui modum egrederentur et

omnia, quae aut ita corrupta erant, ut intellegi nequirent aut quamvis integra minus usitata viderentur, Plauti auctoritate nisi mutare conarentur.

Operae pretium non est hic ascribere locos, ubi viri docti, decepti nimia illa cupiditate novandi et omnia ad Plauti stilum immutandi, lapsi sint. Sed Plautum saepius, ubi codices Apuleiani scribarum manu corrupti essent, remedium subministrasse, unde Apuleius sanior evaderet, nec non ubi verba nova aut obsoleta suspicionem moverent, lectionem firmasse et certam reddidisse, neminem, qui in Apulei scriptis paullo versatior sit, ignorare puto.

Quae cum ita sint, credo operam, quam daturus sum, non plane inutilem fore, si paullo diligentius, quam adhuc factum est, quaesivero, quid Apuleius ex Plauti fabulis deprompserit.

Multa quidem hac in perquisitione incerta esse non opus est monere. Quidni? in litteris tam imperfecte et vitiose traditis. Permulta in imitationem Plauti scripta esse affirmabimus, quae ex aliorum priscorum scriptorum, quorum opera invidia temporis ad nos pervenire non sivit, fonte fortasse manaverunt. Hoc igitur praemittendum e re censeo. Quamquam quaestio nobis inprimis

est de uno Plauto tamquam de antiquissimo poëta comico, cujus plurimae fabulae ad nostram aetatem pervenerunt, ita tamen quaeremus ut Plauto, ubicumque occasio se dabit, Terentium, comicos, quantum rara eorum fragmenta nobis prodesse poterunt, alios priscos scriptores subjungamus.

Quae autem ceteris comicis et Apuleio communia sunt, Plauto nullum exemplum praebente, neque ea sunt pauca, ea praetermitto aliorumque industriae et diligentiae relinquo.

## CAPUT PRIMUM.

**Vocabula quae et apud Apuleium et apud Plautum occurrunt cum forma tum notione similia.**

---

Necesse est diligenter colligamus et in certa genera dividamus omnia vocabula, quae in Apulei scriptis occurrunt, quae quidem ante illum non reperiuntur nisi in Plauti fabulis.

Si dico „ante eum non reperiuntur", non id dico ea vocabula non legi apud alios ejus, qua Apuleius ipse vivebat paulloque superioris aetatis scriptores. Id tamen negligo, cum quaestio, quam mihi proposui de analogia dicendi scribendique, quae inter Apuleium et Plautum exstat, et de aliis post Hadriani tempora auctoribus institui possit.

Hadrianus enim sua auctoritate effecerat, ut erat antiquae linguae amantissimus, ut priscae litterae renascerentur iique, qui ei in administranda republica proximi erant, coeptis et optatis

ejus summis viribus faverant. Opera antiquorum posteriorumque scriptorum comparandorum partim jam impensa est, partim etiam nunc facienda relicta est, neque credo illam operam vanam et inanem fore, si omnibus illis scriptoribus singillatim adhibeatur. De Frontone, de Gellio antiquitatis, praesertim priscorum comicorum imitatoribus constat. Sed jam Suetonius multa in dictione sumpsit ex Plauto Terentioque, quaeque mihi Suetonium legenti in animum subierunt, ea me invenisse prolata in praefatione ad Suetonii vitam Augusti nuper editam a. v. d. Shuckburgh magnopere gavisus sum.

Hoc igitur iterum dico: collegi vocabula Plautina, quae Hadriani demum aetate denuo usurpantur quaeque in Apulei scriptis inveniuntur. Deinde omnia studiose persecutus sum vocabula, quae quidem Apuleio cum Plauto communia sunt sed et apud alios antiquos scriptores, poëtas comicos maxime reperiuntur. Quibus ex thesauris vocabulorum apparebit multo plura esse, quae Apuleius cum omnibus priscis scriptoribus quam cum uno Plauto communia habet, quod etiam multo certius statui posset, si ea quae Apuleius ex aliis poëtis scenicis petivit, conquisita essent.

Quam ob rem ab ovo affirmari debet Apuleium Plauti certe imitatorem, haud minus tamen ceterorum priscorum auctorum fuisse.

Sed tempus est, ut opus nostrum comparandi aggrediamur. Incipimus igitur a

**Vocabulis, quae tantum apud Apuleium et Plautum leguntur.** (1)

*a.* Substantiva

ea, quorum radix exit in litteram consonantem:

in *c.*

frutex (pro stupido ponitur) Apul. apol. 66. Plaut. Most. 13.

in *n.*

hilaritudo. Apul. Met XI. 7. 9. Plaut. Mil. glor. 677, Rud. 421, Cist. 54.

---

(1) In locis Apulei Plautique laudandis secutus sum editiones has:

Lucii Apulei Metamorphoseon libri XI rec. J. van der Vliet. Lipsiae Teubn. 1897.

L Apulei Madaurensis Apologia sive de magia liber ed. G. Krueger. Berolini apud Weidmannos. 1864.

L. Apulei Madaurensis floridorum, quae supersunt rec. G. Krueger. Iahresb. ü. d. Kön. Joachimth. Gymn. Berlin 1865.

Apulei Madaurensis opuscula quae sunt de philosophia. rec. A. Goldbacher. Vindobonae 1876.

Plauti Comoediae rec. et emend. Fridericus Leo. Berolini apud Weidmannos. 1895, 96.

praesegmen. Apul. Met. II. 20. 11. Plaut. Aul. 313.

severitudo. Apul. Met I. 25. p. 21. 4. Plaut. Epid. 609.

in *r*.

adventor. Apul. Met. I. 9. 25, X. 21. 2. Plaut. Asin. 359, Truc. 96, 616.

amatrix. Apul. Apol. 78, 85. Plaut. Asin. 511. (1) amator, quod utrique scriptori usitatum est, etiam a classicis, qui vocantur, auctoribus usurpatum est nihil hic ad nos, dignus vero qui notetur est usus apud Apuleium Met. V. 24. 15: „istos amatores tuos oculos" quocum compares Plauti Poen. 1304: „sed adire certum est hanc amatricem Africam."

circumspectatrix. Apul. Apol. 76, Plaut. Aul. 41.

osor. Apul. d. d. Socr. 12, d. d. Plat. II. 22. Plaut. Asin. 159, Poen. prol. 74.

perfossor. Apul. Apol. 32, Plaut. Pseud. 979, 980.

praestigiator. Apul. florid. 18. pag. 28. 8. Plaut. Amph. 830, Aul. 630: praestrigiator. Poen. 1125: praestrigiator, Truc. 134: praestrigiatrix, Amph. 782: praestrigiatrix.

quorum radix exit in *i*:

(1) vocabula in trix, quamquam radicem in r non habent, inter voces in tor exeuntes redegimus.

ravis. Apul. florid. 17. pag. 26. 17. Plaut. Aul. 336. Cist. 304. fr. Non. 163, 19.

quorum radix exit in *a*:

baxea. Apul. Met. II. 22. 24. Plaut. Capt. 457, Merc. 233. Rud. 625.

facetia. Apul. apol. 56. Plaut. Stich. 727.

hira. Apul. d. d. Plat. I. 15. Plaut. Curc. 238.

(honori)peta. Apul. d. d. Plat. II. 15. Plaut. arg. Most. 6: (lucri)peta.

(al)lubentia. Apul. Met. I. 7. 25. Plaut. Asin. 268. Pseud. 396. Stich. 276.

suadela (idem ac suasio). Apul. Met. IX. 18. 1, d. d. Plat. II, 27. Plaut. Cist. 296.

truculentia. Apul. met. IX. 27. 31, 36. 29. Plaut. Truc. 675.

unguentaria. (substantivum significat artem unguentorum parandorum) Apul. d. d. Plat. II. 9. Plaut. Poen. 572: „unguentariam facere."

quorum radix *o* litteram finalem habet:

cordolium. Apul. Met. IX. 21. 26. Plaut Cist. 65. Poen. 299.

deliramentum. Apul. apol. 29. florid. 3. pag. 4, 5. Plaut. Capt. 596.

exorabulum. Apul. florid. 18. pag. 30. 5. Plaut. Truc. 27.

mendicabulum. Apul. Met. IX. 4. 14. Plaut. Aul. 695.

scitamenta. pl. Apul. Met. X. 13. 12. Plaut. Men. 209.

senticetum. Apul. florid. 11. pag. 14. 6. Plaut. Capt. 860.

sessibulum. Apul. met. I. 23. 26. Plaut. Poen. 138.

sequuntur deminutiva Apuleio uni cum Plauto communia.

quorum radix litteram *a* finalem habet:

formula (dicimus formulam notione pulchritudinis dictam) Apul. Met. III. 15. 1 Plaut. Pers. 229.

morsiuncula. Apul. Met. VIII. 22. 18. Plaut. Pseud. 67.

quorum radix littera *o* finitur:

corculum. Apul. apol. 40. Plaut. Most. 986. Cas. 361, 837. (cognomen Scipioni Nasicae fere medio saeculo altero a. C. n. inditum est cf. Cic. Brut. 79. Tusc. I. 18.

foculum. Apul. Met. II. 7. 5. Plaut. Capt. 847.

tegillum Met IX. 12. 18. (v. d. Vliet cum libris manuscriptis: „tegile;" haud scio an corruptum sit, Guilielm. verisim. II. 5: tegillum Hildebrandio approbante). Plaut. Rud. 576.

*b.* Adjectiva.

ea quae tribus terminationibus moventur:

aquilinus. Apul. Met. II. 2. 18. Plaut. Pseud. 852.

caesariatus. Apul. de Mundo. 23. Plaut. Mil. glor. 768.

cauponius. Apul. Met. I. 5. 11. Apol. 57. Plaut. Poen. 1298.

condignus. Apul. Met. VII. 14. 10, 22. 2. Plaut. Amph. 537, Mil. glor. 505.

congruus. Apul. Met. VI. 23. 2. VII. 1. 28, d. d. Plat. II. 13. Plaut. Mil. glor. 1116.

indusiatus. Apul. Met. II. 19. 22, VIII. 27. 9, X. 30. 5. Plaut. Epid. 231.

ingeniatus. Apul. florid. 18. p 30. 7. Plaut. Mil. glor. 731.

litteratus. (litteris inscriptus ornatusve) Apul. Met. VI. 3. 28, IX. 12. 20. Plaut. Rud. 478, 1156, 1159. Poen. 836.

luculentus (i.q. conspicuus) Apul. Met. II. 4. p 24. 19, 23. 29, IV. 25. 1, V. 22. 6, X. 30. 6. Plaut. Mil. glor. 958. Most. 818.

macilentus. Apul. apol. 63. Plaut. Capt. 647.

medioximus. Apul. d. d. Plat I. 11. Plaut. Cist. 512, 611.

meticulosus. Apul. florid. 2 pag. 3. 2. Plaut. most. 1101. Amph. 293.

mustulentus. Apul. Met. II. 4. 11, IX. 32. 17. Plaut. Cist. Non. 63. 33, 415. 15.

oculeus. Apul. Met. II. 23. 21. Plaut. Aul. 855.

opiparus Apul. Met. V. 15. 15, X. 13. 6, d. d. Socr. 22. Plaut. Capt. 769. Mil. glor. 107, Pers. 549, Poen. 132.

patibulatus (vid. ed. v. d. Vliet) Apul. Met. IV. 10. 16. Plaut. Most. 56.

piscarius. Apul. apol. 41. Plaut. Capt. 816, Cas. 499, Curc. 474.

pisculentus. Apul. apol. 31. Plaut. Rud. 907.

polentarius. Apul. Met. VI. 19. 23 (v. d. Vliet cum F: polentacium) Plaut. Curc. 209.

praesentarius. Apul. Met. II. 25. 11. Plaut. Most. 361, 913. Poen. 705, 793. Trin. 1083 (Apul. Met. X. 4. 18 hoc loco „praesentarius" singulari notione positum est „venenum praesentarium comparat", ea significatione „praesens" usurpari solet.)

promptuarius. Apul. Met. I. 23. 12. Plaut. Amph 14.

propudiosus. Apul. Met. IX. 27. 24. Plaut. Stich. 334. Truc. 271.

purpurissatus. Apul. apol. 76. Plaut. Truc. 290.
striatus. Apul. Met. X. 3. 27, XI. 11. 2. Plaut. Rud. 298.
volaticus. Apul. Met. V. 31. 5, VIII. 16. 25. Plaut. Poen. 473.
adjectiva duarum terminationum:
conducibilis. Apul. Met. VII. 9. 10. Plaut. Bacchid. 52, Cist. 78. Epid. 260, 393. Trin. 26, 36.
aequiparabilis. Apul. d. d. Socr. 3. Plaut. Curc. 168. Trin. 466.
electilis. Apul. Met. X. 16. 22. Plaut. Most. 729, 730.
ignobilis (eodem sensu quo ignotus). Apul. Met. V. 4. pag. 97. 18. Plaut. Pseud. 592. 964.
proeliaris. Apul. met. III. 6. 11. VIII. 16. 5. Plaut. Curc. 573.
adjectiva unius terminationis:
illex. Apul. apol. 76. Plaut. Asin. 221. Poen. 745.
summas. Apul. Met. IV. 23. 13, XI. 22. 9, XI. 1. 6. Plaut. Cist. 25.
Graecae originis adjectivum notamus:
exoticus. Apul. met. I. 1. 14, X. 16. 33. Plaut. Men. 236. Most. 52, Epid. 232.
Ex deminutivis Apuleius haec tantum cum Plauto communia habet:

breviculus. Apul. Met. I. 11. 17, VI. 25. 2. Plaut. Men. 639.

dicaculus. Apul. Met. II. 7. 4, III. 13. 8. Plaut. Asin. 511. (confer Apul. Met. VIII. 25. 25: dicacule).

mellitulus. Apul. Met. III. 22. 23: mea mellitula. Plaut. Cas. 843. Bothe: mellitulum, Leo: malaculum, A malacum, P melliculum.

scitulus. Apul. Met. II. 6. 4, V. 25. 5, VII. 21. 8. IX. 1. 3: (scitule) X. 30. 14: (scitule). Plaut. Rud. 565, 894.

### *c.* Adverbia.

cedo (apud nostros adverbii partes agit sequente imperativo). Apul. Met. I. 4. 29. Plaut. Men. 639.

condigne. Apul. Met. VII. 9. 6. XI. 25. 32. Plaut. Aul. 465, Bacchid. 392, Capt. 107, Cas. 131, Men. 906, Poen. 463.

diutine. Apul. Met. II. 15. 16, 24. 8. Apol. 47. Plaut. Rud. 1241.

fabre. Apul. Met. II. 19. 16, IV. 32. 19. Plaut. Poen. 575.

impendio. Apul. Met. II. 18. 25, X. 4. 27, Florid. 18, pag. 31. 10, d. d. Socr. 20. Plaut. Aul. prol. 18.

altrinsecus. Apul. Met. I. 16. 10, II. 18. 10, III. 17. 8, V. 2. 14. Plaut. Mil. glor. 446. Men. 977. Rud. 1158.

examussim. Apul. Met. II. 30. 16, IV. 18. 21, X. 2. 12, XI. 27. 14. Plaut. Amph. 843. Most. 102, Men. 50.

medullitus. Apul. Met. VII. 2. 26, X. 25. 20. Plaut. Most. 243, Truc. 439.

postibi (ex conjectura Bosschae, codices: post ubi) Apul. Florid. 22. pag. 35. 20. Plaut. Cist. 620, Mil. glor. 1418, Rud. 600.

quippini. Apul. Met. IX. 26. 6. Plaut. Bacchid. 839, Men. 1109.

Graecae originis sunt:

graphice. Apul. Met. VIII. 27. 11, X. 31. 28. Plaut. Pers. 306, 464. Trin. 767.

musice. Apul. d. d. Plat 9. Plaut. Most. 729.

adverbia deminutiva reperimus haec:

bellule. Apul. Met. V. 31. 15, X. 16. 28, XI. 30. 24. Plaut. fragm. Paul. 36. Bacchid. 1068.

Saepicule. Apul. Met. I. 12. 21, II. 3. 2, VI. 28 pag. 138. 12, VIII. 20. 20, IX. 30. 9, 39. 13, XI. 28. 3. Plaut. Cas. 703.

minus usitatae formae adverbium apud utrumque scriptorem legitur hoc:

munditer. Apul. apol. 33. Plaut. Poen. 235.

## *d.* Verba.

ea verba, quorum radix in litteram consonantem exit:

obtrudere. Apul. Met. VII. 28. 2. Plaut. Curc. 366, Stich. 593 (proprie significatione positum).

obgerere. Apul. apol. 64. Plaut. Cist. 70, Pseud. 812, Truc. 102.

proserpere. Apul. Met. IV. 19. 13, VII. 24. 13. Plaut. Asin. 695, Pers. 299, Poen. 1034, Stich. 724.

pollingere. Apul. florid. 19. pag. 33, 2. Plaut. Poen. prol. 63.

ex iis verbis, quae vocantur inchoativa:

allubescere (tantum hac notione: obsequendi lubentem). Apul. Met. IX. 3. 28. Plaut. Mil. glor. 1004. (alia significatione Apul. Met. II. 10. 13, VII. 11. 18).

perpruriscere. Apul. Met. X. 22. 20. Plaut. Stich. 761.

ea verba quorum radix littera *i* terminatur:

compotire. Apul. Met. XI. 22. 3, d. d. Socr. prol. pag. 4. 7. Plaut. Amph. 178, Rud. 911.

crocire. Apul. d. d. Socr. prol. i. f. Plaut. Aul. 625. (Leo scribit: croccibat).

emoliri. Apul. d. d. Plat I. 16. Plaut. Bacchid. 763.

perhaurire. Apul. Met. X. 16. 13. (v. d. Vliet per duxi, φ phausi) Plaut. Mil. glor. 34.

verba, quorum radix in litteram *e* exit:

obolere. Apul. apol. 67. Plaut. Cas. 814, Men. 384.

verba, quorum radix excidit in litteram *a*.

adambulare. Apul. Met. III. 12. 27, VIII. 26. 2, XI. 8. 14. Plaut. Bacchid. 768.

arbitrari (videndi et spectandi significatione). Apul. Met. I. 18. 16, II. 29. 5, III. 21. 2, IV. 12. 11, VII. 1. 25, IX. 12. 15, X. 16. 20. Plaut. Capt. 290, Epid. 695, Pers. 211.

atticissare. Apul. florid. 18 extr. Plaut. Men. 12.

causificari. Apul. Met. X. 9. 10. Plaut. Aul. 755.

contruncare. Apul. Met. I. 4. 15, VI. 31. 6, IX. 13. 27. Plaut. Bacchid. 975.

demutare (intransitive) Apul. Met. I. 13. 5, florid. 16. pag. 23. 5. Apol. 16. Plaut. Mil. glor. 1130. Pseud. 555, 566, Stich. 725.

desquamare (squamis exuere). Apul. apol. 42. Plaut. Aul. 399.

exdorsuare. Apul. apol. 42. Plaut. Amph. 319. Aul. 399.

exoculare. Apul. Met. VII. 2. 28, VIII. 13. 7. Plaut. Rud. 731.

graecissare. Apul. apol. 98. Plaut. Men. prol. 11.

impiare. Apul. Met. III. 3. 29. Plaut. Poen. 384.

infimare. Apul. Met. I. 8. 9. d. d. Socr. 4. Plaut. Stich. 493.

loquitari. Apul. Florid. 15. pag. 19. 13. Plaut. Bacchid. 803.

offrenare. Apul. Met. VI. 19. 29. Apol. 77. Plaut. Capt. 755.

peculiare. Apul. Met. X. 17. 18. Plaut. Pers. 192.

praestinare. Apul. Met. I. 5. 16, 24. 28, VII. 9. 6, VIII. 23. 7, 24. 6, IX. 6. 29, 8. 5, 10. 3. Plaut. Capt. 848, Epid. 277, Pseud. 164.

vadari (vadatus passive). Apul. Met. XI. 6. 17. Plaut. Bacchid. 180.

velitari et velitare. Apul. Met. IX. 37. 29. Apol. 2. Plaut. Men. 778.

venerari. Apul. Met. IV. 28. 25. Plaut. Poen. 277, Rud. 305, 1349.

venerare. Apul. Met. IV. 11. 14. XI. 2. 2. Plaut. Truc. 476. Bacchid. 173.

**Vocabula quae in utriusque scriptis leguntur attamen aut apud alios antiquae aetatis auctores aut apud optimae notae scriptores quamquam perraro reperiuntur.** (¹)

## *a.* Substantiva.

quorum radix cadit in litteram consonantem:

arrabo. Apul. Met. I. 21. 17. Plaut. Most. 648, 918, 1013, Mil. glor. 957, Poen. 1359, Rud, 555, 861, prol. 46, Truc. 690. cf. Terent. Heaut. 633.

bucco. Apul. apol. 81. Plaut. Bacchid. 1088. conf. Pomp. 10. Apriss 1.

---

(¹) auctorum laudatorum editionibus usus sum his:

P. Terenti. Afri Comoediae. rec. Dziatzko. Lipsiae 1884.

Scaenicae Romanorum poesis fragmenta. rec. O. Ribbeck Lipsiae 1872.

Ennianae poesis reliquiae rec. J. Vahlen. Lipsiae 1884.

C. Lucili. Saturarum reliquiae. em. et adn. L. Mueller Lipsiae 1872.

T. Lucreti Cari de rerum natura libri sex. ed. bij H. A. J. Munro. Cambridge 1886.

M. Terenti Varronis de lingua latina librorum quae supersunt. em. et ann. a. C. O. Mueller. Berolini 1833.

M. Terenti. Varronis Saturarum Mennippearum reliquiae. ed. Fr. Oehler. Quedlinburgi et Lipsiae 1844.

Petronii Satirae et liber priapeorum. ed. F. Bücheler adjectae sunt Varronis et Senecae Satirae similesque reliquiae. Berolini 1882.

editiones, quae hic non enumerantur, sunt Teubnerianae.

calcitro. Apul. Met. VIII. 25. 20. Plaut. Asin. 391. cf. Varr. Sat. Menipp. 479.

lurco. Apul. Met. VIII. 25. 25. Apol. 57. Plaut. Pers. 421. cf. Lucil. Sat. V. 41. Suet. gramm. 15.

verbero. Apul. Met. VIII. 31. 11, X. 7. 12, 9. 9, 10. 2. Plaut. Amph. 284, Capt. 551, Most. 1132, Mil. glor. 500, 1056, Cas. 380, Curc. 196, Pseud. 360, conf. Terent. Phorm. 684, 850. Cic. ad. Att. XIV. 6. 1.

cantio (carminis sensu). Apul. florid. 12 pag. 15. 10. Plaut. Stich. 707, 768. conf. Suet. Ner. 25.

potatio. Apul. Met. VIII. 1. 22. Plaut. Bacchid, 79. Capt. 771, Stich. 211. conf. Petron. 4. 3.

quorum radix littera *u* terminatur:

cibatus. Apul. Met. I. 18. 4, 24. 24. Plaut. Mil. glor. 224. conf. Varr. R. R. II. 4.

piscatus. pro omni genere piscium ponitur. Apul. Met. I. 24. 25. Plaut. Most. 67, 729, 730. conf. Turp. 22. Pomp. 119.

suspiritus. Apul. Met. I. 7. 28, V. 25. 10, VI. 29. 22. Plaut. Cist. 56, Merc. 124, Truc. 600. conf. Cic. ad. Att. I. 18. 3. Liv. XXX. 15.

quorum radix littera *a* finitur:

adoria. Apul. Met. VII. 16. 23. Plaut. Amph. 193. conf. Hor. Od. IV. 4. 41.

antistita. Apul. apol. 25. Plaut. Rud. 624. conf. Att. fr. 167.

cursura. Apul. d. d. Socr. 23. Plaut. Asin. 327, Stich. 306. conf. Varr. R. R. II. 7. 15.

dividia. Apul. apol. 28. Plaut. Bacchid. 770. Cas. 179, 180, Men. 49, Stich. 19. Truc. 856. conf. Att. 152. 587. Naev. Com. IX. Turp. 59.

ingratia. Apul. Met. I. 26. 18 (ingratis). Plaut. Curc. (ingratiis). Cas. 700, Merc. 479. conf. Lucret. d. R. N. III. 1083, V. 45, VI. 215.

prosapia. Apul. Met. I. 1. 9, III. 11. 24, VI. 23. 33, VIII. 2. 16, IX. 35. 1. X. 18. 14. Plaut. Curc. 393. Merc. 634. conf. Sall. b. Jug. 85. 10. Cic. Tim. XI. 39. Quinct. I. 6. 40. VIII. 3. 26.

suppetiae. Apul. Met. III. 26. 5, VI. 27. 3, IX. 37. 20. Plaut. Amph. 1106, Epid. 659, 677, Men. 1003, 1020. Mil. glor. 1053. Rud. 624, 1084. conf. Suet. Vesp. 4.

vocabula. e lingua Graeca desumpta sunt haec:

crocota. Apul. Met. VIII. 27. 12, XI. 8. 12. Plaut. Epid. 231, fr. aul. 10. conf. Naev. trag. 46. Nov. Com. 71.

machaera. Apul. Met. IX. 40. 19. Plaut. Bacchid. 68, Curc. 424, 567. Mil. glor. 53, 463. conf. Caec. com. 69. Enn. tr. 149. Suet. Claud. 15.

pausa. Apul. Met. IX. 31. 29, XI. 2. 11. Plaut. Pers. 818, Poen. 459, Rud. 1205. conf. Enn. Ann. 348, 572. Sat. 11. Lucret. I. 747. Att. 43. et. 290.

schema. Apul. Met. IV. 20. 4. Plaut. Amph. 117, Pers. 463. conf. Caecil. com. 57, 76. Naev. trag. 37. Suet. Tib. 43.

sycophanta. Apul. Met. VII. 12. 27. Plaut. Amph. 506, Curc. 463, Men. 260, Trin. 958, Poen. 376. conf. Ter. Heaut. prol. 38. And. 815, 919.

symbole. Apul. d. d. Plat. II. 7. Plaut. Curc. 474, Epid. 125, Stich. 432. Ter. Andr. 88, Eun. 540, 607.

quorum radix excidit in *o*:

cantherius. Apul. Met. VIII. 23. 16, IX. 13. 26. Plaut. Aul. 495, Capt. 814. Varr. fr. R. R. II. 7. Caton. fr. Cic. d. N. D. III. 5. Liv. XXIII. 47. 6.

capulus (notione sarcophagi.) Apul. Met. IV. 18. 14, VIII. 13. 15. Plaut. Asin. 892. conf. Lucret. II. 1174.

gerulus. Apul. Met. IV. 16. 9, VI. 18. 2. VI. 20. 1 (gerula.) VIII. 28. 25, IX. 39. 6, XI. 16. pag. 264. 25. Plaut. Aul. 525, Bacchid. 1003, Truc. 551. conf. Hor. ep. II. 2. 72. Suet. Cal. 40.

naucum. Apul. apol. 91. Plaut. Most. 1041, Truc. 611, Bacchid. 1102. conf. Naev. com. 105. Enn.

com. 10. Afran. com. 431. Cic. de div. I. 132.

pessulus. Apul. Met. I. 11. 9, 14. 18. III. 15. 14. Plaut. Aul. 104, Cist. 649, Curc. 147, 153, 157, Truc. 351. conf. Terent. Eunuch. 603. Heaut. 278.

adminic(u)lum. Apul. apol. 15. Plaut. Most. 129. (significatione translata). conf. Cic. Off. III. 7.

conciliabulum. Apul. Florid. 16. Plaut. Bacchid. 80, Trin. 314. conf. Tac. Ann. III. 40.

concubium. Apul. Met. II. 25. 4. Plaut. Trin. 886. conf. Varr. d. l. l. VI. 7. et. VII. 78.

curriculum (in ablativo active). Apul. Met. X. 9. 19. Plaut. Mil. glor. 523, Most. 362, 929, Pers. 199, Rud. 798, 855. conf. Terent. Heaut. 733.

deridiculum. Apul. florid. 3. pag. 4. 4. Plaut. Amph. 682, Mil. glor. 92, Pseud. 1058. cf. Tac. Ann. III. 57, VI. 2, XII. 49.

filum (de externa specie et lineamentis dicitur). Apul. Met. IV. 23. 18. Plaut. Men. 755: „filum satis scitum mulieris." cf. Varr. d. l. l. V. 113. Lucil. XXIX. 72, XVI. 13.

infortunium. Apul. Met. IX. 23. 11, 31. 23, X. 5. 1. d. d. Plat. II. 10. Plaut. Poen. 24, 201, 517. (semper de plagis, quas servus ab hero expectat). conf. Terent. Heaut. 668, 1028, Adelph. 178. Hor. Art. poët. 103.

occipitium. Apul. Met. I. 4. 24. Plaut. Aul. 64. cf. Quinct. XI. 3. 160.

promus. Apul. apol. 52. Plaut. Mil. glor. 837, Poen. 716, Pseud. 608, Trin. 81. conf. Varr. r. r. I. 16. Hor. Sat. II. 2. 16.

savium. Apul. Met. III. 14. 9, V. 7. 13, VI. 8. 20. Plaut. Curc. 60, 56, Cist. 523, Most. 265, Truc. 356, 525, 911. conf. Terent. Eun. 456. Caecil. com. 160, 161.

seminium. Apul. d. d. Plat. II. 26. Plaut. Mil. glor. 1060. conf. Lucret. III. 742.

e lingua Graeca in sermonem Latinum translata invenimus:

apologus. Apul florid. i. f. Plaut. Stich. 538. conf. Cic. de inv. I. 25. Suet rhet. 1.

choragium. Apul. Met. II. 20. 13, IV. 33. 19. Apul. apol. 13. Plaut. Capt. prol. 61. (de omni apparatu theatrali). conf. Plin. XXXVI. 115.

Restant diminutiva substantiva:

quorum radix litteram *a* finalem habet:

adulescentula. Apul. Met. I. 22. 4. Plaut. Mil. glor. 789, Rud. 416, Epid. 43. conf. Terent. And. 118. Heaut. 602, 654.

aetatula. Apul. Met. I. 12. 6, VII. 9. 4, X. 29. 18, 31. 27, XI. 15. 28. Apol. 2. Plaut. Cist. 49,

Most. 208. Pseud. 168, Pers. 239, Rud. 894. conf. Caec. 153. Cic. Sest. 18. de har. resp. § 42.

buccula. Apul. Met. III. 19. 26, VI. 22. 3. Plaut. Truc. 290. P. bucculas. cf. Suet. Galb. 4.

cistula. Apul. Met. IX. 40. 6. Plaut. Amph. 420 et. 773, Rud. 389. Varr. l. l. VIII. 79, IX. 74.

diecula. Apul. Met. I. 10. 9, VI. 16. 4, VII. 27. 24. Plaut. Pseud. 710. conf. Ter. And. 710. Cic. ad. Att. V. 21. 13.

mensula. Apul. Met. III. 11. 2, 15. 29. Plaut. Most. 308. conf. Petron. 136. 15.

pinnula. Apul. Met. III. 21. 11. Plaut. Amph. prol. 143. conf. Cic. d. N. D. II. 129.

sportula (proprio sensu). Apul. Met. I. 7. 18, 25. 2. Plaut. Curc. 289, Stich. 289. conf. Suet. Ner. 16. qui tamen vocabulo utitur illa aetatis imperatoriae notione donorum, quae clientes a suis regibus accipiebant.

uxorcula. Apul. Met. IX. 5. 23. Plaut. Cas. 700, et. 762. conf. Varr. Sat. Menipp. 116.

quorum radix exit in *o*:

laterculus (crustulum pistorium a lateris forma ita dictum) ex conjectura Colvii. Apul. Met. X. 13. 11. (v. d. Vliet dat: lacertulus). Plaut. Poen. 325. conf. Caton. R. R. 129.

puellus. Apul. Met. VII. 21. 9, X. 29. 18, 32. 22. Plaut. fragm. a. Fest. 249. conf. Lucret. IV. 1246. Lucil. IV. 28, XI. 28. Suet. Cal. 8.

### *b.* Adjectiva.

quae sunt trium terminationum:

aquilus. Apul. d. d. Socr. 10. Plaut. Poen. 1112. conf. Varr. Sat. Men. p. 151. 6.

asinarius. Apul. Met. VII. 8. 28. Plaut. Asin. prol. 12. conf. Caton. R. R. X. 4, XI. 4. Varr. L. L. VII. 79. substantive utitur Suetonius Aug. 96.

consiliarius. Apul. d. d. Plat. II. 15. Plaut. Epid. 159, Truc. 216. conf. Sen. nat. quaest. II. 39. 1.

catus. Apul. florid. 3. pag. 3. 5. d. d. Socr. 17. extr. Plaut. Mil. glor. 794, 1142, Poen. 1107. conf. Enn. Ann. 447. Terent. And. 855. Anon. Mim. XVII. Cic. leg. I. 16. et Hor. III. 12. 10.

calamistratus. Apul. Met. II. 19. 21. Plaut. Asin. 627. conf. Cic. Sest. 18.

congruus. Apul. Met. VI. 23. 3, VII. I. 28 (hoc loco tamen idem significat, quod consentiens, de hominum unanima voluntate). d. d. Plat. II. 13. Plaut. Mil. glor. 1116. conf. Ovid. Met. XV. 487.

corpulentus. Apul. Met. VII. 23. 19. Asclep. 27.

(significatione vocis corporalis). Plaut Epid. 10. conf. Quinct. VI. 1. Enn. inc. lib. XLIII.

delicuus. Apul. florid. 3. Plaut. Cas. 206. Varr. L. L. VII. 106.

famelicus. Apul. Met. I. 26. 30. Plaut. Cas. 130, Rud. 311. conf. Iuv. XIV. 146.

hircinus (hirquinus). apud utrumque nostrum cum-substantivo „barba" conjunctum. Apul. Met. XI. 8. 8, Plaut. Poen. 742, Pseud. 967. conf. Hor. Sat. I. 4. 19.

hircuosus (hircosus). Apul. Met. V. 25. 2. Plaut. Merc. 575. conf. Pers. III. 77. Mart. X. 98.

impuratus. Apul. Met. II. 25. 10, IX. 10. 15: „impuratissima illa capita." Plaut. Aul. 359, Rud. 543. conf. Terent. Phorm. 669, 962.

injurius. Apul. Met. XI. 6. 17. Plaut. Aul. 691, Cist. 103. conf. Terent. Adelph. 106, 205, Hec. 72, 73. Liv. XLIII. 5. 5.

morigerus. Apul. Met. II. 5. 11. Apol. 14, 74. Plaut. Amph. 1004, Capt. 966, Curc. 109. conf. Terent. Andr. 294. Naev. com. 91. Afran. com. 372. Lucret. IV. 1273, V. 80.

nescius (passive ponitur). Apul. Met. V. 12. 3, VIII. 138. Plaut. Capt. 265, Rud. 275. conf. Tac. Ann. I. 59.

obstupidus. Apul. Met. I. 25. 7. Plaut. Mil. glor. 1254. conf. Pacuv. 54.

oculatus (quod significat bonis oculis praeditus). Apul. apol. 57. Plaut. Truc. 489. conf. Suet. rh. 5.

oppessulatus. Apul. Met. I. 22. 3, IX. 30. 11. legebatur antea in scena Amphit. quae nunc supposita habetur.

patibulus (sic codices; Scaliger quem secutus est, v. d. Vliet. patibulatus). Apul. Met. IV. 10. 16. Plaut. fr. Carbon. a. Non. „patibulus ferar per. urbem." (ex coniectura Lipsii). Codices: „patibulum ferat per urbem, deinde adfigat (adfigatur. edid. Z. Mueller) cruci". Nonius. M. 221.

penitus. Apul. Met. V. 8. 22: praecordiis penitus (v. d. Vliet. cum editionibus), praecordiis penitis (Oudend.) Met. VIII. 7. 25: penitus in medullis. Colv: penitis in medullis. Met. XI. 6. 15: penita mente. Apol. 31: penitus piscium ventribus. Salmasius: penitis piscium ventribus. d. d. Socr. 16: in ipsis penitissimis mentibus conf. Plaut. Cist. 63: pectore penitissimo. Asin. 41: ex penitis faucibus." Pers. 522: ex Arabia penitissima. Sic et 541. conf. Varr. Sat. Men. fr. 522.

robiginosus. Apul. d. d. Socr. 5. Plaut. Stich. 228. conf. Mart V. 28. 7.

senectus. Apul. Met. VII. 27. 3: Senectam infirmitatemque meam contemnit. (v. d. Vliet). Senectam infirmitatem (quod Colvius conjecit). Plaut. Trin. 43, Aul. 273. Lucret. III. 772.

subitarius. Apul. d. d. Socr. prol. in. Plaut. Mil. glor. 225. conf. Liv. III. 4.

scruposus. Apul. Met. VI. 31. 29. Florid 11. pag. 14. 5. (scruposū F. scrupulosum φ, scruposum Stewechius). Plaut. Capt. 185. conf. Lucret. IV. 521. (523).

succidaneus Apul. Met. VIII. 26. 23. Plaut. Epid. 140. conf. Iustin. XXXVIII. 6.

sucidus. Apul. apol. 24. Plaut, Mil. glor. 787. conf. Varr. R. R. II. 11. Iuv. III. 24. Mart. XI. 27. (consucidus. Plaut. Mil. glor. 787).

voluptarius. Apul. Met. II. 19. 5: voluptarii secessus. Plaut. Poen. 602: liberum ut commos-„traremus tibi locum et voluptarium, conf. Cic. de fin. V. 25.

adjectiva, quae duabus terminationibus moventur:

cognominis. Apul. Met. I. 23. 8. Plaut. Bacchid. 39. Plaut. fr. apud. Serv. Verg. Aen. VI. 383. Suet. Oth. 1.

capularis. Apul. apol. 66. Plaut. Mil. glor. 628. conf. Lucil. Susp. III: pergit capulare cadaver.

cujatis (quoiatis). Apul. Met. I. 5. 10, V. 19. 14, VIII. 24. 7. Plaut. Bacchid. fr. 23, Curc. 404. Men. 541, Poen. prol. 109, 994. conf. Cic. Tusc. V. 108. Liv. XXVII. 19.

dapsilis. Apul. Met. XI. 3. 26. Plaut. Most. 982, Pseud. 396, 1266, Aul. 167. conf. Titin. Com. 136.

ignorabilis. Apul. Met. XI. 22. 24. Leo. ad. Pseud. 592: ignobilis. A. Festus. p. 174: ignorabilis P. conf. Cic. de inv. II. 99.

versipellis. Apul. Met. II. 22. 28. Plaut. Amph. prol. 123. conf. Petron. 62. 13.

unius terminationis sunt haec:

impos. Apul. Met. III. 12. 2, V. 22. 9. d. d. Socr. 3: „veritatis impos", absolute positu mest. d. d. Plat: „impotem ipsum aliorum addici potestati". Plaut. Cas. 629, Trin. 131, Truc. 828. conf. Sen. Agam. 117.

mansues. Apul. Met. VII. 23. 23, XI. 8. 10. Plaut. Asin. 145. conf. Acc. tr. 453. Varr. Sat. men. 364.

perpes. Apul. Met. II. 22. 24, III. 3. 24, IX. 11. 9. Florid. 17. pag. 26. 11. d. d. Socr. 1. Apol. 73. Plaut. Amph. 280, 273, Truc. 278. conf. Pacuv. 10, 188, 208, Enn. 360.

praegnas. Apul. Met. VI. 4. 15: praegnatibus. Plaut. Mil. glor. 1077, Truc. 198, 811. conf. Terent. Hec. 641.

primor (utrum Nominativus exstet necne in dubio est.) Apul. Met. IV. 28. 23: primore digito. VII. 16. 6: primoribus ungulis, X. 17. 23: primoribus pedibus (notione pedibus priorbus, aliis locis semper significatione prioris partis). Plaut. Bacchid. 675: „digitulis duobus sumebas primoribus". Poen. 566: „digitulis primoribus." Trin. 910: „in labris primoribus." conf. Lucret. VI. 1193. Afran. 385. Turp. 31. Lucil. (Müller). p. 221. Cic. Cael. 28.

ex adjectivis deminutiva occurrunt haec:

pauculus. Apul. Met. VI. 2. 13, X. 30. 2, XI. 29. 19, 30. 25. Plaut. Merc. 386, Truc. 643. conf. Ter. Heaut. 828, Hec. 143 Afran. 340. Caton. fr. a. Fest. 154. (b) 2. Cic. Att. V. 21.

pauperculus. Apul. Met. X. 31. 5. Plaut. Aul. 171, Epid. 540, 555, Pers. 345. conf. Ter. Heaut. 96, Adelph. 647.

pauxillus (pausillus). Apul. Met. X. 27. 18. (substantive). Plaut. Aul. 112, Capt. 176, Curc. 176, Most. 864, 865. Truc. 686. conf. Afran. 247. Naev. 55. Nov. 62. Turp. 90. imprimis. Afran. 296.

tantillus. (et ab Apuleio et a Plauto substantive positum). Apul. Met. II. 32. 23, IV. 26. 11, VI. 20. 2, VII. 27. 25, VIII. 5. 15, X. 16. 23. Plaut. Most. 394, Poen. 273, Rud. 1150, Trin. 60, Truc. 537, 609. Conf. Ter. Adelph. 563.

### *c.* Adverbia.

adaeque. Apul. Met. IV. 8. 20, VIII. 31. 26, X. 2. 27. Plaut. Capt. 828, Cas. 683, Most. 30. cf. Liv. IV. 43. 5.

aliquantisper. Apul. Met. I. 11. 12. Plaut. Pseud. 571. Conf. Ter. Heaut. 572, Adelph. 639. Caecil. Com. 45. Flor. II. 18. Iustin. I. 8, IV. 2, XL. 11.

apprime. Apul. d. d. Socr. 20. Met. IX. 14. 22, X. 17. 24. Plaut. Cist. 125 (conf. Gell. XVII. 2. 14), Trin. 373, Rud. 735. conf. Ter. And. 61, Hec. 247.

assiduo. Apul. Met. IX. 15. 4. Apol. 15. Plaut. Cist. 185, Mil. glor. 50, Most. 9, 76, Truc. 422. Conf. Lucil. Sat. V. 23.

circumcirca. Apul. Met. XI. 3. 9. Plaut. Aul. 468. (semel apud Cic. ad. fam. IV. 5. 8.)

commodo. d. d. Plat. I. 1. d. d. Socr. 20. Plaut. fragm. Frivolaria. pag. 534. conf. Sen. ep. 70. 19.

derepente. Apul. apol. 74. Plaut. Men. 874, Most.

488. conf. Ter. Hec. 518, 554. Enn. tr. 76. Acc. tr. 184. Turp. Com. 3. Afran. Com. 199, 223, Pomp. Com. 132. Nov. Com. 44. Caton. Orig. V. 3. Varr. Sat. Men. 466. Suet. Tib. 23, Vesp. 2.

efflictim. Apul. Met. I. 8. 15, III. 16. 5, V. 6. 15. Apol. 79. florid. 9. pag. 12. 18: efflictim. ς, Krueger: effectius. Plaut. Amph. 517, Cas. 49, Merc. 444, Poen. 96, 1095. conf. Naev. 37, Pomp. 42. Laber. 12.

exadversum (absolute positum). Apul. Florid. 15. pag. 16. 12. Plaut. Bacchid. 835. conf. Ter. Adelph. 584, Phorm. 88, 97.

fortassis. Apul. Met. V. 9. 19. Plaut. Asin. 493. conf. Sen. Rhet.

guttatim. Apul. Met. III. 3. 3, XI. 9. 28. Plaut. Merc. 205. conf. Enn tr. fr. 172.

insperato. Apul. Met. IX. 38. 25. Plaut. Aul. arg. 14. conf. Lucil. Sat. 30. 38.

interibi. Apul. apol. 73. Plaut. Capt. 951. conf. Afran. Com. 138.

oppido. Apul. Met. II. 25. 5. Apol. 52. Plaut. Amph. 299, Aul. 410. Mil. glor. 627, 634, Cist. 576, Curc. 135, Most. 136, 165, 733, 809, Pers. 741, Pseud. 425, Rud. 207, Men. 709. conf. Ter.

Heaut. 669, 704, 734, Adelph. 322, Hec. 238, Phorm. 317, 763. Cic. ad. fam. XIV. 4 de Orat. II. 64, 259.

praefiscine. Apul. florid. 16. pag. 25. 8. (Colvius restituit: praefiscine, praefascine, F. φ.) Plaut. Asin. 491, Cas. 343, Rud. 461. conf. Titin. 110. Afran. 36. Petron. 73.

praequam. Apul. florid. 15. pag. 17. 2 prequam F, p̃quam φ, Krueger: perquam, antiquae editiones: praequam. Plaut. Amph. 634, Aul. 507, Most. 1146. conf. Ter. Eunuch. 301: praeut.

prorsum. Apul. Met. III. 2. 10, IX. 37. 2. Apol. 4. Plaut. Cist. 426, Mil. glor. 1193, Pers. 677, conf. Ter. Hec. 315.

publicitus. Apul. Met. X 29. 26: „talis mulieris publicitus matrimonium confarraturus." Plaut. Amph. 161, 162. Bacchid. 319. Pers. 509: „ut fiat auctio publicitus." conf. Lucil. fr. XII. 5, XVI. 1, XXX. 121.

repentino. Apul. Met. VIII. 4. 21. Florid. 16. p. 21. 3. de Mundo 16, Plaut. Pseud. 37. Cic. Quinct. 14. Caes. d. b. G. II. 33.

seorsum. Apul. Met. XI. 21. 11, Plaut. Capt. 710, Epid. 402. (sorsum) conf. Ter. Adelph. 971. Lucret. III. 629, 630. (sorsum).

sequius. Apul. apol. 87: „quid in eo tempore sequius agentem vel loquentem matrem suam propter insaniam viderit." Plaut. Cist. 692 (setius). conf. Afran. com. 293. Liv. II. 37.

solide. Apul. Met. III. 15. 17. Plaut. Trin. 850, 892. Ter. And. 964.

strictim (proprio sensu). Apul. Met. XI. 10. 20 (Codd: strictim, v. d. Vliet: astricti). Plaut. Capt. 267. conf. Cic. p. Cluent. 10, qui significationem translatam usurpat.

unde unde. Apul. Met. V. 30. 20. Plaut. Pseud. 106. conf. Catull. 67. 27. Hor. Sat. I. 3. 87.

usquequaque. Apul. Met. X. 27. 14, 30. 8, XI. 29. 20. Plaut. Poen. prol. 105, Mil. glor. 1134. Cic. ad. fam. VII. 16. Suet. Aug. 86, Tib. 6, Claud. 13, Dom. 12. Rhet. 6.

etiam adverbium deminutivum reperitur:

longule. Apul. florid. 2. pag. 2. 8. Plaut. Men. prol. 64, Rud. 266. conf. Ter. Heaut. 239.

adverbia inusitata ratione formata:

ampliter. Apul. Met. I. 21. 14, X. 26. 22. Plaut. Merc. 99, Mil. glor. 758. conf. Att. 282. Pomp. 54.

avariter. Apul. Met. IV. 7. 7: v. d. Vliet. cum. codd. F. φ. „merum saevienti ventri tuo soles aviditer ingurgitare". Pal: avariter vide Hildebr.

ad hunc locum. Plaut. Curc. 128: „Hoc vide ut ingurgitat inpura in se merum avariter faucibus plenis.'' Rud. 1238. conf. Claud. Quadr. fr. Non. 510. 19. Sqq.

severiter. Apul. Met. II. 27. 28. Et Plautus usus est teste Prisciano 15. 1010. conf. Titin. 67.

*d.* Verba.

quorum radix cadit in litteram consonantem:

effigere. Apul. Met. III 6. 14, V. 7. 6. (codd. F. φ: effiigitis, v. d. Vliet legit: affligitis). Plaut. Asin. 818, Cist. 526. conf. Cic. ad. Att. IX. 19. 2.

indipisci. Apul. Met. VI. 5. 25. Plaut. Epid. 451, Trin. 224, Rud. 1315. conf. Lucret. II. 211. Liv. XXVIII. 30. 12. dum autem Apuleius verbum proprio sensu usurpat, Plautus tantum significationem translatam adhibet.

introrumpere. Apul. Met. I. 17. 19, II. 26. 24. Plaut. Amph. 1048, Mil. glor. 460, Rud. 570. conf. Ter. Eun. 996.

prodigere (sensu translato). Apul. d. d. Plat. II. 4. Plaut. Aul. 380, Merc. 1020. conf. Sall. or. Lep. Suet. Ner. 30. Tac. H. I. 20.

specere. Apul. florid. 18. pag. 31. 22 (strepit F. φ.

V. specit Hildebrandius. Alii aliter coujecerunt.) Plaut. Bacchid. 399, Cas. 516, Most. 132. conf. Enn. Ann. 402. Caton. Varron Sat. Men 65. 1. 184.

quibus subjungimus verba inchoativa:

exolescere (notione perverse crescendi). Apul. Met. IX. 32. 2. Plaut. Bacchid. 1135. Col. II. 18. 3.

persentiscere. Apul. Met. VIII. 10. 13, 22. 17. Florid. 12. pag. 14. 18. d. d. Plat. I. 13. Plaut. Aul. 63, Merc. 687. conf. Ter. Heaut. 769, 916. Lucret. III. 249.

et verbum defectivum:

infit. Apul. Met. I. 12. 4. et passim. Plaut. Asin. 343, Aul. 318, Bacchid. 265. Merc. 249, Rud. prol. 51, 53. conf. Lucret. R. N. III. 515. Verg. Aen. X. 860.

quorum radix littera *u* terminatur:

astituere. Apul. Met. III. 2. 14, IX. 11. 16. Plaut. Capt. 846. conf. Att. 55.

quorum radix in litteram *i* exit:

admoliri. Apul. Met. I. 10. 18. Plaut. Rud. 599, Asin. 570. Conf. Curt. VIII. 10.

obgannire. Apul. Met. II. 2. 9, 11. 20. Plaut. Asin. 422. conf. Ter. Phorm. 1030.

subservire. Apul. d. d. Plat. I. 9. 13. Plaut. Men. 766. conf. Naev. com. 112. Ter. And. 735.

suffulcire. Apul Met. X. 20. 10. Plaut. Epid. 83. conf. Lucret. IV. 867.

quorum radix excidit in *e*:

attinere. Apul. Met. III. 20. 18. Plaut. Men. 588, Bacchid. 180. conf. Sall. b. Jug. 108. 3. hist. fr. 1. 48 (51). 6.

attondere Apul. Met. III. 17. 1. Plaut. Bacchid. 242. conf. Verg. Georg. II. 406.

condecere. Apul. Met. VI. 9. 15. Plaut. Amph. 722, Cas. 652, Aul. 582, Poen. 305, Pseud. 935, Truc. 227. conf. Turp. com. 127. Pompon. com. 72.

complacere. Apul. Met. IV. 32. 25 (complacitus). V. 9. 8 (complacuit). Apol. 15 (complacitus). Plaut. Amph. Prol. 106 (complacitum est). Rud. 187 (complacitum est). Rud. 727 (complacuerunt). conf. Ter. Andr. 645 (complacitast). Heaut. 773 (complacitam formam).

dispudere. Apul. apol. 63. Plaut. Bacchid. 481, Most. 1166, conf. Ter. Eunuch. 832.

habere (habitandi notione). Apul. Met. I. 21. 19 (cum uxorē — comitē F, cum uxore — comite $\varphi$ g), d. d. Plat. II. 23. Plaut. Aul. prol. 5, Bac-

chid. 114. Truc. 77, 246. conf. Afran. 136. Naev. 83.

permulta denique verba, quorum radix littera *a* finitur:

acceptare. Apul. Met. X. 19. 17, 23. pag. 240. 16. Plaut. Pseud. 627. conf. Varr. Sat. Men. 24. 1. 110.

accurare. Apul. apol. 87. Plaut. Mil. glor. 805, Pers. 393, Pseud. 939, Men. 208. conf. Cic. d. inv. I. 58.

adjutare. Apul. apol. 31. Plaut. Cas. 580, 807, Truc. 559. conf. Ter. Heaut. 416, 546, Eun. 150, Hec. 359, And. 209, Phorm. 99, Adelph. prol. 16. Pac. 98, 157, Att. 103.

annutare. Apul. Met. X. 32. 9, Plaut. Men. 437, conf. Naev. fr. 76 et 112.

auscultare. Apul. Met. VIII. 31. 7. Plaut. Rud. 515. conf. Ter. And. 209, Heaut. 585. et passim. Pomp. Com. 12. Afran. 265, 306. Caec. 196. Cic Rosc Am. 104.

auspicare. Apul. florid. 16. pag. 21. 21. (notione paullo diversa praedicendi praenuntiandique). Plaut. Stich. 502. conf. Naev. bell. Pun. 4 fr. 3. V.

autumare. Apul. Met. I. 18. 23, V. 25. 8. Apol. 4. d. d. Socr. 6, 8. Plaut. Amph. 306, 332, 416, 752, Capt. 235*a*, 606, 885, 891, 955, Epid. 545,

644, Men. 760, Trin. 324. conf. Pacuv. 118, 169, 308, 338, 373, 403. Att. 579. trag. Quinct. VIII. 3. Trab. 6 (ex comjectura Ribbeckii, codices: arbitror), Att. 6. Ter. Heaut. prol. 19. Lucil. XXVIII. 46.

beare. Apul. apol. 37. Plaut. Asin. 330, Amph. 641, Mil. glor. 468. conf. Ter. Phorm. 170. Titin. Com. 120.

bubulcitare. Apul. florid. 6. pag. 6. 11. Plaut. Most. 53, (bubulcitari). conf. Varr. Sat. Men. 52. l. 149.

caper(r)are. Apul. Met. IX. 16. 5. d. d. Socr. prol. p. 2. 7. Plaut. Epid. 609. conf. Varron. L. L. VII. 107. Varr. Sat. Men. 31. 1. 119.

celerare. Apul. Met. II. 6. 24. Plaut. Pseud. 168. conf. Turp. 124. Lucret. R. N. I. 387. Verg. Aen. IV. 641. V. 609. IX. 378.

comissari vel comisari. Apul. Met. II. 24. 24. Plaut. Most. 317, Pers. 568, Rud. 1422, Stich. 775. conf. Ter. Eunuch. 442.

comminari. Apul. Met. VI. 16. 19 (comminans: codd. commentans: v. d. Vliet), 26. 1, VIII. 30. 9, X. 6. 29. Plaut. Aul. 414. conf. Suet. Caes. 14, 62, Cal. 22, Tib. 37.

concinnare. Apul Met. III. 13. 17 (notione parandi), VI. 24. 18, VII. 20. 4, VIII. 12. 12. Plaut.

Asin. 216, Amph. 529, Capt. 601, 818, Men. 102, 467, Truc. 793. conf. Afran. 374. Lucret.

concipilare. Apul. Met. VII. 18. 23 (Lipsius concipilabat, v. d. Vliet compilabat), Apul. Met. IX. 2. 5 (compilassent codd. ex lectione v. d. Vliet). Apol. 96. Plaut. Truc. 597. conf. Naev. inc fab. XXV. Vide, quae scripsit v. d. Vliet, Archiv. f. Lat. Lex. IX. p. 461.

cunctare. Apul. d. d. Socr. 2. Plaut. Cas. 792. conf. Att. fr. 72. Enn. com. 3, tr. 211.

contemplare. Apul. florid. 7 pag. 8. 7. Plaut. Amph. 441, Merc. 407, Most. 166, Pers 564 (contemplarier. Poen. 1129). conf. Enn. tr. 325, Naev. tr. 4, Att. tr. 557, Titin. com. 21.

deamare. Apul. d. d. Plat. II. 16. Plaut. Epid. 219, Poen. 1176, Truc. 703. conf. Afran. 357, Laber 41, Terent. Heaut. 825.

dedecorare. Apul. apol. 15. Plaut. Bacchid. 498, Trin. 299, conf. Ter. Hec. 210. Sall. Suet. Ner. 36.

dedolare. Apul. Met. VI. 13. 1, VII. 17. 23, IX. 7. 17. Plaut. Men. 859. conf. Col. IV. 26. 1. Apuleius et proprio sensu et translate, uno loco (X. 7. 17) obscoene ponit.

defaecare. Apul. Met. IX. 22. 5. Plaut. Most. 158, Pseud. 760, conf. Col. XII. 33.

defenerare. Apul. apol. 75. Plaut. Vid. fr. 2. 34. conf. Cic. parad. VI. 46.

defraudare. Apul. Met. IV. 25. 11, IX. 28. 19. Apol. 86. Plaut. Asin. 91, 93, Pseud. 93. conf. Ter Adelph. 246, Phorm. 44 (defrudans). Varr. Sat. Men. 59. 4. 169, Petr. 69. 2, Cic. ep. VII. 10. 2.

deosculari. Apul. Met. I. 17. 4, 24. 3, 16. 6, 26. 25, 28. 18, III. 24. 30, IV. 11. 13. Plaut. Cas. 136, 453, 467. cf. Val. Max.

ductare. Apul. Met. VI. 28. 4. (v. d. Vliet inseruit ductabo). Apol. 82. Plaut. Most. 845. conf. Enn. tr. 295. Sall. apud. Quinct. VIII. 3. 44.

esitare. Apul. Met. I. 19. pag. 15. 10, X. 16. 23. Plaut. Capt. 188. (Leo: essitas) cf. Caton. R. R. 175. Varr. Sat. Men. 52. 10. 52.

evitare (interficiendi significatione). Apul. Met. III. 8. 4. Plaut. Cas. 749. (hodie Leo legit: interimat). conf. Enn. trag. 124. (87). Acc. tr. 348.

exantlare (exanclare). Apul. Met. I. 16. 5, VI. 4. 13, 11. 10, VII. 6. 1, VIII. 1. 11, XI. 2. 11, 12. 8, 15. 23. Plaut. Stich. 273. conf. Enn. 90, 134. Pacuv. 290. Att. 91. 269. Quinct. I. 6. 40: „sed opus est modo, ut neque crebra sint haec

neque manifesta, quia nihil est odiosius affectatione nec utique ab ultimo et jam oblitteratis repetita temporibus, qualia sunt topper et antegerio et exanclare et prosapia et saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta."

fabulari. Apul Met. XI. 16. 26, d. d. Socr. prol. p. 3. 5. Plaut. Amph. 201, 300, 623, 698, Merc. 364, 872, Pers. 149. conf. Titin. com. 111. 171. Afran. 148. Enn. tr. 133. Ter. Phorm. 654, Hec. 316. Suet. Aug. 74, Cal. 22, Dom. 4.

fugitare. Apul. d. d. Plat. II. 10. Plaut. Asin. 484, 485, Capt. 541. conf. Ter. Heaut. 434, Adelph. 872, Hec. 776, Phorm. 623, 835, Eun. 847. Nov. 2. Lucret. I. 658.

grassari (proprio sensu). Apul. Met. VII. 7. 3, VIII. 16. 9, 17. 20. Plaut. Bachid. 1138, Poen. 514, Rud. 251. conf. Petron. 117. 3.

hariolari. Apul. Met. II. 7. 18. d. d. Socr. 18. Plaut. Asin. 316, Mil. glor. 1256. conf. Pompon. com. 110. Ter. Phorm. 492. Cic. ad. Att. VIII. 11. 3.

incubare (incolere, habitare significat). Apul. Met. VII. 7. 6. Plaut. Cas. 110. conf. Ovid. Met. I. 634, II. 338.

incertare. Apul. Met. V. 13. 21, XI. 16. pag. 264. 25. Plaut. Epid. 545. conf. Pacuv. tr. 150.

lusitare. Apul. Met. IV. 7. 3. Plaut. Capt. 1000. conf. Naev. ap. Non. 139. 25.

mussitare. Apul. Apol. 71. Plaut. Aul. 131, Cas. 664, Mil. glor. 311, 477, Pseud. 501, Truc. 312. conf. Ter. Adelph. 207.

nutricare et nutricari. Haec forma. Apul. Asclep. 36. Plaut. Merc. 609, Mil. glor. 715. conf. Afran. Com. 401. Lucil. Sat. 30. 129. Varr. R. R. II. 8. 4; I 23. 5, II. 2. 17. Petron. 77. 1.

Illa forma. Apul. apol. 18. conf. Varr. Sat. Men. 542. Cic. de. N. D. II. 86.

obsono. Apul. apol. 21. Plaut. Aul. 280, Bacchid. 97, Capt. 474, Cas. 491. Conf. Ter. Ad. 117, 964. Cic. Tusc. V. 97.

offirmare. Apul. Met. VII. 28. 26, X. 10. 8, Plaut. Merc. 82, Bacchid. 1198, Pers. 222. conf. Pacuv. tr. 293. Acc. tr. 372, Ter. Heaut. 1052, Eun. 217, Hec. 454.

participare. Apul. Met. I. 4. 2, IX. 33. 16. (eodem sensu quo, communicare cum aliquo). Plaut. Aul. 132, Cist. 165, Pers. 757, Stich. 33, Mil. glor. 263, Truc. 748. conf. Lucret. R. N. III. 692. Cic. de legg. I. 33.

patrissare (imitari patrem). Apul. Florid. 3. pag. 3. 16. Plaut. Pseud. 442. conf. Ter. Ad. 564.

perspectare. Apul. d. d. Plat. II. 23. Plaut. Most. 815. conf. Pomp. Com. 28. Suet. Aug. 98.

prolectare. Apul. Met. V. 7. 15, XI. 7. 14. Plaut. Bacchid. 567. conf. Cic. Flacc. 8. Ovid. Fast. IV. 433.

propitiare. Apul. Met. I. 10. 19, II. 10. 14. IV. 29. 20, IX. 27. 27, X. 32. 3, XI. 2. 5, 9. 1, 26. 14. Plaut. Poen. 339, 378, 848. conf. Suet. Oth. 7, Vesp. 7.

renumerare. Apul. apol. 92. Plaut. Bacchid. 46, 516, 608. conf. Ter. Hec. 502.

subigitare. Apul. apol. 87. Plaut. Men. 204, Cas. 964, Mil. glor. 649, 1402. conf. Ter. Heaut. 567.

suffarcinare. Apul. Met. IX. 8. 26, 29. 3, X. 16. 28. Plaut. Curc. 289. conf. Ter. And. 770.

tuburcinari. Apul. Met. VI. 25. 4. Plaut. Pers. 122. conf. Turp. Com. 2. Titin. Com. 82.

# CAPUT SECUNDUM.

**Vocabula Apulei, quorum forma princeps vel alia forma inde derivata apud Plautum exstat.**

Omnibus igitur collectis vocabulis, quae ab Apuleio usurpata Plauti imitationem indicant, non tamen omnia, quae ex nostro indagari possunt prisca et obsoleta conquisita sunt.

Restat in Apuleio bona pars vocabulorum, quorum forma nobis nova et inaudita videretur, nisi prima forma aliave inde derivata in Plauto non inusitata firmaret antiquitus ea vocabula in usu fuisse.

Ergo id egimus in secunda nostrae dissertationis parte, ut omnia ea vocabula Apuleiana in unum conferremus, quorum formae cognatae jam priscis temporibus aut in uno Plauto aut et in illo poëta comico et in aliis veteribus scriptoribus inveniebantur.

Incipimus a substantivis quae in Apulei scriptis occurrunt.

adversator. Apul. d. d. Socr. 5. Apud Plautum reperimus feminini generis formam Most. 257. conf. Ter. Heaut. 1007.

allubentia. Apul. Met. I. 7. 25. compara: „adlibescere." Apul. Met. II. 10. 13, VII. 11. 18: „adlubescebat." IX. 3. 28: „adlibescerem." Plaut. Mil. glor. 1004. Plautus praeterea utitur voce „lubentia" Asin. 268:

„ut ego illos lubentiores faciam quam Libentiast."

Stich. 276:

„itaque onustum pectus porto laetitia lubentiaque."

amasio. Apul. Met. III. 22. 29, VII. 21. 19. Plautus aliam terminationem vocabuli habet. Cas. 590. Truc. 658. Ita apud Apuleium duplicem exitum in „gerulo" et „gerulone" invenimus.

assula. Apul. apol. 35. Plautus novit adverbium „assulatim". Capt. 832. Men. 859.

aulula (scribitur et ollula). Apul. Met. II. 7. 1, V. 20. 5. Plautus vocem „Aulularia" usurpat pro fabulae titulo. „Aula" legitur Plaut. Capt. 846. Curc. 396.

auscultatus. Apul. Met. VI. 13. 12. et „auscultator"

Apul. Met. VII. 16. 25. Supra locos jam laudavimus quibus verbum auscultandi in Plauti fabulis occurrit. His adjicimus „auscultatio" Plaut. Rud. 502.

boatus legimus Apul. Met. III. 3. 1, X. 7. 17 (v. d. Vliet cum codd.: vocatu, Oud.: boatu). Usus verbi boandi apud utrumque scriptorem supra cognovimus.

cavillus. Apul. Met. II. 19. 25. Sed et cavillum Met. I. 7. 26, in Plauto tamen reperimus tantum „cavilla" Aul. 640.

cauponius. Apuleius (Met. I. 5. 11) substantive utitur, apud Plautum vero adjectivum scriptum legitur Poen. 1298.

commentator apud Apuleium reperitur Apol. 74. (F φ V: commentator, Oudendorpius: commentor) verbum commentandi, quod Plauto usitatissimum est, jam supra laudavimus.

converritor. Vide Apuleium Apol. 6, saepius apud Plautum „converrere" Rud. 845, Stich. 389, 351.

coquina (substantive). Apul. d. d. Plat. II. 9. Plautus Pseud. 790. Sq. adjectivum „coquinus". adhibet nec non verbum „coquinare" Aul. 406, Pseud. 852, 875.

coquitatio. scriptum est apud Apuleium Met. IV. 22. 24, quod nusquam alias reperitur, Plautus uero nobis servavit verbum „coquitare" Plaut. Aul. 408. (Leo dat: coquinatum, Nonio auctore, coquitandi verbum tradit Paulus ex Festo 61. 18). Pseud. 853, 874, 875.

crocota. Apul. Met. VIII. 27. 12, XI. 8. 12. Plautus Epid. 224: crocotula. Plaut. fr. Non. 538. 13.

crurum ejus fragium. Apul. Met. IX. 23. (ita codices, v. d. Vliet crurum ei fragium) duo vocabula in unum contracta leguntur apud Plautum Poen. 886: „crurifragius," similis forma posita est Plaut. Amph. 454: „lambifragium."

effigiatus. Apul. florid. 15. pag. 17. 4. conf. Plaut. Rud. 421.

gerulo, quod vocabulum supra jam composuimus cum amasione, legitur Apul. Met. III. 28. 24. gerulus contra Met. IV. 16. 9, VI. 18. 2, 20. 2: gerula, VIII. 28. 25, IX. 39. 6, XI. 16. p. 264. 25. vide Plautum Aul. 502: (saluti)gerulos, Bacchid. 1002, Truc. 551 (damni)geruli, Pseud. 181: munerigerulus.

lucricupido. Apul. d. d. Plat. 2. 15. Plautus adjectivo etiam composito „turpilucricupidus" utitur Trin. 100.

mussitatio. Apud neminem nisi apud paucos recentioris aetatis scriptores legitur, id Apuleius semel usurpat Met. VIII. 4. 21. Mussitandi autem verbo utrumque scriptorem usum esse quis est qui ignoret. Vide supra s. v. mussitare.

nugamentum. Apul. Met. I. 25. 18. Praeter vocabulum „nugae", quod Plauto usitatissimum est, reperimus apud eundem haec ab eadem stirpe derivata: „nugari" Plaut. trin. 900, „nugator," Capt. 275, Curc. 462, Trin. 1138.

nutricatio. Apul. d. d. Plat. 2. 26. nutricari. Apol. 18. Plaut. Merc. 509: nutricare.

oppexus. Apul. Met. XI. 9. 26. conf. Plaut. Pers. 111: oppectere, quo unico loco oppectendi verbum in tota Latinitate reperitur.

palumbulus. Apul. Met. X. 22. 2. Quantopere Apuleius deminutivis delectetur, omnibus notum est. Plautus scribit „palumbis" Bacchid. 51.

patagium. Apul. Met. II. 9. 21 (conf. Naev. tr. 48). conf. Plaut. Aul. 505: „patagiarius," Plaut. Epid. 231: „patagiatus."

pera. Apul. apol. 22. Apud. Plautum adverbium occurrit nobis „peratim" Epid. 351.

piator. Apul. florid. 15. p. 19. 4. Kr. (ex conjectura Lipsiana). In Festo p. 213. 13: piatrix, quod

conjectura restitutum diu locum tenuit Plaut. Mil. glor. 693. „piare" et Plautus utitur sed et alii optimae notae auctores usurpant. Asin. 506.

posticula. Apul. Met. II. 23. 24. „posticulum" Plaut. Trin. 194, 1185.

potatus. Apul. Met. VII. 10. 29. praeter hoc verbum, quo et Plautus et scriptores melioris Latinitatis usi sunt, legimus etiam „potatio" Bacchid. 79, Capt. 711, Stich. 211. (conf. Apul. Met. VIII. 1. 22) et „potator" Plaut. Men. 259.

praegnatio. Apul. Met. I. 9. 1, V. 18. 22. Asclep. 41. Supra enumeravimus locos, quibus Plautus et Apuleius inusitata forma „praegnas" usi sunt.

quercera (querquera). substantive utitur Apul. apol. 35. (Lucil. Sat. 2. 8). Plautus Friv. fr. 2: querquera febris (Lucil. Sat. fr. inc. 35. et 37).

ruratio. Apul. florid. 15. p. 16, 15. Kr. cf. Plaut. Capt. 84.

sarcinula. Apul. Met. I. 17. 14. substantivum, cujus deminutivum Apuleius dat, reperitur in Plauto Trin. 719, 956. Quod ad numerum vide caput tertium, quod aget de formis etymologicis a bona Latinitate discrepantibus.

scortatus. Apul. Met. V. 28. 21. cf. Plaut. Asin. 270, Merc. 1018. verbum „scortari" et apud Teren-

tium heaut. 206. legitur. Plaut. Amph. 287: scortator.

sospitator. Apul. Met. IV. 7. 9. (F. mei** hospitatores, φ. mei hospitatores, δ sospicatones, v. d. Vliet mei hospites et sospitatores, IX. 3. 24. Apol. 64. Sospitatrix. Apul. Met. XI. 9. 18, XI. 15. 12. Plautus in usum suum vertit verbum sospitandi. Plaut. Asin. 683: Sospitari. Aul. 646: sospitari.

subitaria. Subst. plur. neutr. gen. Apul. d. d. Socr. prol. in. Plautus tantum adjectivo utitur. Vide supra.

Transeamus ad

## *b.* Adjectiva.

admissarius. Oudendorp et cum eo v. d. Vliet lectionem codicum F et φ Met. VII. 16. 29: „mares enim ob admissuram veterem pasti satiantes ac diu saginati" sic mutaverunt: „mares enim ob admissariam venerem pasti satianter ac diu saginati". conf. Plaut. Mil. glor. 1111. Sqq: „Abi sis hinc, nam tu quidem ad equas fuisti

scitus admissarius, qui consectare qua maris qua feminas."

comoedicus. Praeterquam apud Apuleius Florid. 16. p. 21. 1. quem Fulgentius Myth. I. praef. p. 2. m. ibid. p. 16. imitatus est, nusquam est. adverbium vero „comoedice" legitur. Plaut. Mil. glor. 213.

concinnaticius, quod rarioris terminationis vocabulum Apuleius semel tantum usurpat. Met. II, 11, derivatum a verbo concinnandi, cujus usus quam frequens Plauto sit supra notavimus.

cordatus. Vox ex vetustioris linguae usu desumpta, ita enim scribit Ennius. Ann. 335. (Cic. de rep. I. 30.) e cujus thesauro et Seneca in Apocolocynthosi. 12. sumpsit. Apuleius posuit Met. V. 31. Plautus adjectivo quidem non usus est, semel et iterum in ejus fabulis adverbium „cordate" est. Mil. glor. 1088. Poen. 131. (conf. Afran. Com. 220.)

cruciabilis. Adjectivum in Latinorum scriptorum operibus, quae ad nostram aetatem pervenerunt non occurrit ante Apuleium, qui in Metamorphosibus scribit. I. 7. 27: „cruciabilem suspiritum ducens," X. 3. 1. „Sed illa cruciabili silentio fatigata." Substantivum „cruciabilitas" Plautus

solus usurpavit Cist. 202, neque aliter res se habet in adverbio „cruciabiliter", quod legimus Plaut. Pseud. 950 nisi quod et auctor belli Africani veterem nostrum poetam secutus est.

effigiatus. Apul. apol. 14. conf. Plaut. Rud. 421.

ejulabilis. Apul. Met. IV. 3. 2. (v. d. Vliet: heiulabilis), ejulare: Plaut. Aul. 318, 727, 796, Merc. 682, ejulatio. Plaut. Capt. 201.

famigeratus, participium verbi famigerandi Apuleius adjective posuit Florid. 15. p. 16. 18. Kr: „Fanum Iunonis antiquitus famigeratum," ab eadem radice est „famigerabilis", quo adjectivo Apuleius usus est Met. I. 7. 1. Plautus autem habet alia cognata vocabula. Legimus enim Plaut. Trin. 692: „famigeratio". Trin. 215: famigerator.

f(o)etulentus. Apul. apol. 7. Plautus usurpat verbum „foetere". Asin. 894, Cas. 727.

hircuosus. Apul. Met. V. 25. 2. Plautus „hircosus" utitur Merc. 375.

incuriosus (qui nullam periculi curam habet). Apul. florid. 2. pag. 3. 2: „agnum incuriosum" conf. Plaut. Aul. 562: curionem (lectio incerta, codices: „curiosam" curiosum?)

laetificus. Apuleianum est. Met. II. 31. 9. Ennio (in fragmentis) et Lucretio. (I. 192.) exempla

praebentibus sed Plautinum est verbum laetificandi. Aul. 718. Pers. 760.

osculabundus. Suetonius primus usurpat (Vit. 2 extr.), nemo autem affirmare audeat Apuleium vocabulum inde petivisse Met. XI. 6. 4. Apol. 94. Apuleius etiam habet terminationem activam verbi „osculari" Met. II 6, 8, quam frequens vero Plauto usus sit verbi deponentis „osculari" (cujus et haec forma usitata est „ausculari"), quis est, quin sciat Plaut. Asin. 892, 895, Merc. 575, Mil. glor. 288, 320, 461 e. q. s.

opulens, quae vetustior forma adjectivi „opulentus" esse videtur, dictionis Apuleianae est. Animadvertimus in nostro Met. VIII. 15. 25, X. 19. 20. d. d. Socr. 22. Sallustius, qui et ipse antiquiorum vocabulorum est amantissimus Iug. 85 praebet: „opulenter." Plautus autem Mil. 1171 voce „opulentitas" est usus (quae ei communis est cum Caecilio comico 106).

peculiatus. Adjectivum scriptum legitur Apul. Met. X. 17. 18. Plautinum est verbum „peculiare" Pers. 192.

pertinax. Apuleius proprio sensu ponit d. d. Socr. prol. p. 3. 21: „ales unguibus pertinax," quod et Plautus facit. Comparemus locum ex Captivis

289: „tenaxne pater est eius? Immo edepol pertenax."

plusculus. Apul Met. II, 17. 19, III, 17. 21, IX. 41. 5, X. 2. pag. 222. 20, 23. 3, Plautus habet adverbium plusculum Pers. 21.

salutiger. Apul. d. d. Socr. 6. Deminutivum „salutigerulus" usurpat Plautus Aul. 502.

sequior. Apul. Met. VII. 8. 25, X, 23. 29: „sexus sequior" Plautus adverbium sequius passim.

tantillulus. Apuleius, qui plurimus est in diminutivis hac voce utitur Met. II, 25. 8, in Plauto passim scriptum legitur „tantillus," quae vox comicorum poëtarum propria est. Vide Plaut Most 394, Truc. 537, 609.

vespernus. Apul. Met. III. 1. 12: „aestus invadit animum vesperni recordatione facinoris." Apud Plautum haec vox substantivi partes agit per ellipsin substantivi coenae. Legitur enim „vesperna" Paul. ex Festo 368. 8.

### *c.* Adverbia.

Iam aggrediamur ad adverbia

altrorsus. Apul. Met. IX. 28. 13, diversa forma apud Plautum altrovorsus Cas. 446.

callenter. adverbium participii praesentis a verbo callendi, quod in Plauto frequentissimum est (neque alii comici neglexerunt, Ter. Heaut. 548, Adelph. 533, Pomp. Com. 118, Afran. 3, 124, Caec. 14) cf. Truc. 932, Most. 279, Pers. 305, legitur Apulei in Metamorphosibus IV. 16. 12.

clanculo. scriptum legitur Apul. Met. III. 8. 5, 16. 14, IX. 9. 9. Apol. 40, 86, terminationem in um ostendit cum aliis antiquioris aetatis auctoribus Plautus Bacchid. 317, 375, Cas. 444, Curc. 22, Men. 477, Most. 1044, Truc. 670, conf. Atta Com. 24, Afran. Com. 47, Ter. Eun. 310, 411, 589, 602, Heaut. 472, Phorm. 873, Adelph. 52, Luc. Sat. 27, 30.

derepentino. unum vocabulum factum ex „de repentino" usurpat Apuleius in florid. 16. p. 20. 7. Kr. d. d. Socr. prol. p. 2. 14. Et Apuleius et Plautus utuntur „repentino" et „derepente" (vide hujus libelli capitis primi alteram partem).

dicacule. Apul. Met. I. 9. 29, VIII. 25. 25, de adjectivo utrique scriptori usitato jam locuti sumus.

diutino. Duobis locis operis Apuleiani sic legitur de quibus quidem inter viros doctos non convenit, quos tamen hic seriei adverbiorum

apponere necesse habuimus. Primus locus est Apul. Apol. 14: „quippe in omnibus manu faciundis imaginibus opera diutino (sic F V) sumitur". Kruegerus conjectura restituit „diutina". Alter locus est. Met. II. 24. 8: „ibi corpus splendentibus linteis coopertum introductis quibusdam septem testibus manu revelat et diutine (sic F φ v. d. Vliet loco corrupto crucem apposuit diutine servans, Eyssenhardt in textum recepit diutino). Ergo si cum libris manu scriptis facimus, uno saltem loco adverbium diutino restat. Alteram formam „diutine" in capite primo jam notavimus Plauto usitatam, adverbium deminutivum ejusdem radicis Apuleus scribit florid. 2. pag 1. 11, 16. pag. 22.: „diutule."

efflicte. Apul. Met. V. 28. 9. Iam supra dedimus vocabula „efflictim" et „effligere." Plauto et Apuleio communia.

frustatim. Apul. Met. II. 7. 16, IX. 37. 18. (conf. Pompon. Com. 177.) Adverbium „frustillatim" a substantivo deminutivo „frustillum" derivatum Plautus adhibuit Curc. 576, quam formam et ostendit fragmentum Pomponii Comici. 166.

jugiter. Apul de Mund. 30. Plautus translate eodem modo, quo Apuleius adverbio, adjectivo utitur

Pseud. 84: „nam is mihi thensaurus jugis in nostra est domo," melioris notae scriptores significationem translatam adjectivo tunc tantum tribuunt, cum junctum est substantivo, cui significatio fluentis alicuius rei inest.

laciniatim. Apul. Met. VIII. 15. pag. 175. 11. Substantivum „lacinia" est in Plauto Asin. 587, Merc. 126.

mundule. Adverbium ante Apuleium reperimus tantum modo in Accio tragoedo (vide fragm. 602.) Plautus adjectivum „mundulus" usurpat Truc. 622. Vide Apul. Met. II. 7. 19.

ociter. Positivum huius adverbii, utrum Apuleius Met. I. 23. 13. ex antiqua consuetudine repetierit, an ipse novaverit vix pro certo statui potest, id tantum constat comparativi formam „ocius" a Plauto et Terentio, quos unus alterve melioris aetatis poëta secutus est, pro positivo positam esse. Vide Plaut. Cist. 639, Curc. 276, 312, Most. 679, Ps. 758, Truc. 803, Ter. And. 724, 731. Eun. 470, Heaut. 832, Phŏrm. 562.

quantulum quantulum (pro quantulumcumque). Apul. Met. IX. 35. 13. Conf. Plaut. Poen. 738: „quantum quantum."

quaquaversus. Apul. Met. IV. 6. 9: „huius per

obliqua devexa, qua saxis asperrimis et ob id inaccessis cingitur, convalles lacunosae cavaeque nimium spinetis aggeratae et quaquaversus opsitae naturalem tutelam praebentes ambiebant". Perspicuum est quaquaversus Apuleium posuisse pro quoquoversus. Sic Plautus quaqua utitur Mil. glor. 95.

voluptarie Apul. Met. III. 21. 19, de Plautino „voluptarius" vide in capite primo.

## *d.* Verba.

Pervenimus ad verba.

abligurrire. Apul. Met. X. 14. 21, (conf. Ter. Eun. 235) Plautus habet verbum „ligurrire" Capt. 84.

adorare. Duobus locis Apuleius hoc verbo utitur ea significatione, qua postea auctores „alloqui" dicere solebant, scilicet Met. II. 29. 18: „populum sic adorat" et Met. III. 3. 4. Ad hunc Oudendorpius annotat: „proprie, sive ore sic fatur ad populum." Hujus propriae significationis verbi adorandi exemplum apud alium scriptorem non exstat. Conferendum autem est cum hoc usu, verbum „orare," quod Plautus et post eum optimae Latinitatis poëtae utuntur plane eodem

sensu, quo „loqui". Epid. 721, Most. 682. confer etiam „orator" et „oraculum".

advenerare. Apul. d. d. Socr. 5, unus est locus, ubi hoc verbum activae formae terminatione usurpatur. Exemplum ei fuerit necesse est verbum „venerare", quo et ipse et Plautus saepius usi sunt. Vide verborum seriem in capite primo.

bubulcitare Apuleius active sumit florid. 6, p. 6. 11. Kr. (ita et Varr. Sat. Men. 257) Plautus verbum activum deponens habet Most 53.

cibari scriptum legitur in Apul. Apol. 26. cognatum substantivum habet Plautus Mil. glor. 224, adjectivum „cibarius" Capt. 901. (conf. Cato fr.)

commentare. Formam activam restituerunt in Apul. apol. 87 Lipsius et Koziol quamquam nullo exemplo conjectura nititur, ab eadem stirpe est substantivum Apuleianum „commentator" (Apol. 74 cum F φ V, perperam a Kruegero cum Oudendorpio in „commentor" mutatum) In Plauto quam frequens sit verbum „commentari" vide supra.

componderare. Apul. Asclep. 22. quod verbum omnes scriptores universi respuerunt, proprio sensu usurpat noster, ut Plautus verbum simplex adhibuit Amph. 312.

consarcinare. Legimus apud Apuleium Met. VII. 5. 26: „centunculis disparibus et male consarcinatis semiamictum." Plautus Aul. 510 ab inusitato verbo „Sarcinare" = sarcire habet „sarcinator".

convenire. Perpauca sunt exempla huius verbi significantis: „coire". Apuleius sic scribit. Met. IV. 27. 9: „in voluptatem veneriam convenire". (Conf. Lucret. II 923). Fieri non potest, quin credam eum sic scripsisse memorem exempli Plautini, ubi is „convena" eodem sensu usurpat. Vide Mil. glor. 139: „itaque ego paravi hic intus magnas machinas, qui amantis una inter se facerem convenas."

degrassari. Apul. d. d. Socr. 10. „grassari" Plauto est frequens ut jam ostendimus supra.

dejerari. Vox Apuleiana. Met. X. 15. 18, dejerare Plautina. Men. 814, Rud. 1336. cf. Ter. Eun. 331, Hec. 771.

demussare. Compositum ea significatione, qua Plautus et verbum simplex usurpat, scriptum legitur Met. III. 26. 6. conf. Plaut. Aul. 131: „neque occultum id haberi, neque per metum mussari," qui est unicus locus, quo scriptor cuiuscumque aetatis hoc verbo ea significatione ornato utitur.

erogare. Participium huius verbi hoc sensu Apuleius usurpat Met. V. 13. 30, ut significet „multis precibus, valde rogatus," quam significationem Plautus verbo erogitandi dat Capt. 951. Sq: „Interibi ego ex hac statua verberea volo erogitare meo minore quid sit factum filio." (conf. Acc. tr. 626).

fringultire. Apul. florid. 17. p. 27. 15. Kr. Apol. 34, 98. forma Plautina paullum recedit ab Apulei ratione scribendi. Legimus. Cas. 267: „friguttire."

grassare. Formam illam actionis Apuleius usurpat Met. VII. 7. 3. Nusquam alibi reperitur, quam uero; frequens noster sit in mutandis verborum generibus jam in multis aliis verbis vidimus. Et Plautus et Apuleius habent verbum „grassari."

inacescere. Apul. Met. V. 10. 19. conf. Plaut. Aul. 468, Bacchid. 1099: peracescere.

inoculare Apul. Met. VI. 28. 3, Conf. Plaut. Rud. 731: „exoculare" (ita legitur Apul. Met. VII. 2. 28: „exoculatam.")

nutricari Apul. apol. 18 (cf. Varro. Sat. Men. 542. Cic. de nat. d. II 86) In Plauto tantum agendi reperitur figura Merc. 609, Mil. glor. 715, quae et Apuleio in usu est Asclep. 36, cf. Afran. Com. 401, Lucil. sat. 30, 129. Petron. 77. 1.

obtinnire. Apul. apol. 48. Plautus multus est in verbo „tinnire." Asin. 448, Cas. 248, Poen prol. 33, Pseud. 889.

osculare. vide in ea parte, quae est de adjectivis: „osculabundus."

praeconcinnare. Apul. Met. V, 27. 21: (v. d. Vliet post Jahn „e re concinnato," F φ „freconcinnato" editiones „praeconcinnato". Vi praepositionis „prae" verbo simplici addita, idem sensus est atque verbo concinnandi. Vide supra.

praedestinare uno tantum loco, qui est Apul. Met. IV, 15, 25 (Beroaldus scribit „praestinatae", quem secutus est v. d. Vliet) significationem habet „ante sibi parare," verbum simplex, sublata ea notione, quae praepositio „prae" verbis compositis addere solet, apud Plautum „emptione sibi parare" significat. Vide Plauti Most. 643, Pers. 542, Rud. prol. 45. conf. Lucil. Sat. 29. 76.

praelavere, quae est forma minor verbi praelavandi, cuius participium praelavatus Priscianus servavit, unico tantum exemplo nobis restat, quod legitur in Apulei apologia 8. Verbum simplex autem „lavere" apud Plautum reperitur Amph. 1102, Truc. 324 (BD), 902, Pseud. 10, Most. 111 (perlavit), cf. Afran. 322, 187. Titin 29, 86.

Laber. 145, Naev. 7. Enn. 127, 164, 283. Att. 420, 519, 578, 697.

praestolare. Apul. Met. V. 20. (F φ: praestolabimus, v. d. Vliet: „praestolatae advolabimus") conf. Turpil. com. 153, verbum deponens Apuleio Plautoque commune est, de quo vide verba capitis primi.

reluctare. Apul. Met. IV, 20. 1, VII. 5. 28. „Luctare" Plaut. Vid. conf. Ter. Hec. 829, „deluctare" Plaut. Trin. 839.

satis agere. Apuleius Met. VIII. 17. 13: „satis agentes rerum suarum." Vix possum errare si contendo Apuleum ea scribentem ante oculos vel certe in mente habuisse locum Plautinum Bacchid. 637: „nunc agitas sat tute tuarum rerum." cf. Merc. 228. Terent. heaut. 225.

somniari. Apul. Met. III. 22. 19, VIII. 12. 15. (conf. Petron. 74. 14). Plauto verbum somniare usitatissimum est Capt. 848, Men. 395, Pers. 257, Rud. 343.

suppetiari. Apul. Met. I. 14. 26, IV. 10. 21, VIII. 20. 23, de vocabulo Plautino „suppetiae" vide supra.

tuburcinare. Apul. Met. VI. 25. 4. Verbum deponens habet Plautus Pers. 122, cf. Turp. Com. 2. Titin. Com. 82.

velitare. Apul. Met. V. 21. 9. (v. d. Vliet cum codicibus „velitatus". Hildebrand „velitatis"). Plautus et Apuleius verbo deponenti utuntur. Apul. V. 11. 13, IX. 29. 8. Plaut. Men. 778. „Velitatio" etiam Plautinum est. Asin. 307, Rud. 625.

## CAPUT TERTIUM.

### I°. Formae etymologicae a scriptorum optimae Latinitatis formis discrepantes cum Plauto tum Apuleio usitatae.

Ordimur a substantivis, quibus in enumerandis videbimus, ea tripartito dividenda esse, quae genere, quae numero, quae declinatione ab usitatis formis diversa sunt. Perpauca sunt, quae afferre possumus, attamen non e re fore videtur his de vocabulis tacere.

Videamus, quae sint substantiva genere discrepantia, quibus uterque noster usus est.

Apuleius Met VIII. 28. 18, scribit „lactem". Hanc formam ad nominativum generis masculini referendam esse nemo est quin facile cernat. Codices autem Plautini B et D ad versum 1134 Bacchidum eandem huius vocabuli terminationem praebent. Ciceronianae aetatis usus „lac" tradit. Nominativus „labia" casusque ab eo ducti, nobis occurrunt in Apulei Met. II. 24. 12, III. 24. 10. et 25. 17, X. 16. 12. et 22. 17. Paullum tantum ab

hac voce diversa est Plautinum „labea" vide Plaut. Stich. 721, neque tamen ab aliorum priscorum comicorum lingua aliena est conf. Titin. Com. 172, Pomp. Com. 144, 156, 158, Nov. Com. 51, vide etiam Lucil. sat. 9. 74 et 22. 9. Nemo nescit usitatam formam „labium" fuisse.

„Uterum" vulgo generis masculini sumere solebant, restant autem pauca exempla mutati generis. Plautus enim Aul. 691 haec verba habet: „obsecro te, uterum dolet" (conf. Turp. Com. 179, Afran Com. 346). Et in Apulei apologia 85 legimus: „o infelix uterum tuum Pudentilla".

Deminutiva genus verborum nativorum servare, certum est, qua lege a substantivo „focus" deminutivum „foculus" derivandum erat. Sed et in Plauto et in Apuleio forma „foculum" reperitur cf. Plaut. capt. 847, Pers. 104.

Quod ad numerum pertinet, discrepantiae sunt hae:

„delicia" altera forma est vocis „deliciae", quam optimi scriptores usurpare solent, Plautus eam vocem adhibet Poen. 365, Rud. 429, Truc. 921, forma minor et apud Apuleium invenitur in apologiae cap. 9: „et Critias mea delicia est et salva Charine." d. d. Socr. in prol.

„Facetia" et „facetiae" Plautus utraque forma usus est, quarum haec sola in melioris aetatis scriptis perspicitur; illam Apulejus sibi elegit Apol. 56; „facetiae" vide Plaut. Mil. glor. 1322, „facetia" Plaut. Stich. 727.

Optima Latinitas nullam aliam formam novit nisi plurale tantum „fores", sed in Apulei Met. I. 11. 9 legimus: „adducta fore", quam formam comparare velis cum his formis Plautinis, Amph. 496: „crepuit foris" et Bacchid. 833: „forem hanc pauxillum aperi" et Cas. 891: „forem obdo" (conf. Ter. Ad. 264).

Commemoranda est forma numeri singularis „precem", quae exstat in Apul. florid. 16. p. 22. 17. et a consuetudine optimorum scriptorum abhorret (iis enim „preces" plurale tantum usurpatur). Apuleius autem hanc formam non novam induxit, exemplum invenit apud Plautum Capt. 244 (conf. Ter. Andr. 601, Phorm. 547).

„Sarcinula" Apul. Met. I. 14. 8. Deminutivum est vocis „Sarcina", quae occurrit in Plaut. trin. 596, 719, Most. 430, quamque Apuleius ipse usurpat Met. VI. 18, 3. Attamen statuendum est eam formam non usitatam fuisse sed „sarcinae" plurale tantum fere semper adhibitum esse.

Restat ut addamus Genitivum singularis numeri „sordis" Apuleio (Met. I. 21. 16) et Plauto (Poen. 315) communem.

Sequitur ut de iis formis dicamus, quae ab usitatioribus discrepant declinatione.

Apud Apuleium Met. VI. 18. 12 Lipsius lectionem dat „senici" (nunc in Apulei editionibus scribitur „seni"), ad cujus vocis declinationem spectat deminutivum, quod in uno Apuleio (Met. I. 25. 18) exstat „seniculus". Priscianus nobis fragmentum Plautinum servavit (3. 38, 6. 94) similem formam praebens „senicis" Conf. Plaut. Bacchid. 205: „senicem."

Substantivum „sequester" legitur Apul. Met. VI. 31. 24: „nec vos memoria deseruit utique quod jam dudum decreveritis de isto asino semper pigro quidem, sed manducone summo, nunc etiam mendaci fictae debilitatis et virginalis fugae sequestro ministroque." Is ablativus pertinet ad declinationem substantivorum, quorum stirps litteram o finalem habet, quod abhorret ab usu linguae, quam vocant, classicae. Sed Apuleius exemplo non caruit. Reperimus enim apud Plautum Rud. 1004 „sequestrum" (conf. Plaut. Vid apud Prisc. 6.

32) et Merc. 737, Rud. 1018 „sequestro" (Dativum) (conf. Petron. 15. 4: „sequestri)."

Unum tantum substantivum, de quo agamus necesse est, restat „Schema" enim inter ea vocabula est, quae, quamquam de stirpe in littera consonanti desinente derivantur, tamen declinationem substantivorum, quorum ultima radix *a* est, sequuntur. Itaque apud Apuleium exstat forma „schemis" (Met. IV. 20. 4) Confer Plauti Amph. 117, „schema" (Ablativum), Pers. 463 (schemam) Genitivum „schemae" habet Suet. Tib, 43, schemas Petron 44. 8.

De adjectivis haec fere sunt, quae notari possunt. De nominativis „opiparus" (prima forma est opiparis), „mansues" (quod cum altera forma „mansuetus" conjunctum legitur Apul. Met. VII. 23. 23, separatim XI. 8. 10) „perpes" forma discrepans ab adjectivo usitatissimo „perpetuus") vide supra capite primo adjectiva enumerata.

Inter formas graduum comparationis has adnotavimus nisi in duobus scriptoribus, quibus nos operam damus, omnino non occurrentes, quibus statim adverbiorum minus usitatas formas subjungimus.

glabrior. Apul. Met. V. 9. 26, (v. d. Vliet in sua
editione restituit „calviorem," sed annotat ad

hunc locum Fulgentium XIV locum Apuleianum ita laudasse: „quovis puero pomiliorem et cucurbita glabrionem") unde editores antea „glabriorem" in suis editionibus scripserunt). Plaut. Aul. 404. eandem formam scriptam dat.

impuratissimus. Apul. Met. IX. 10. 15 cf. Plaut. Rud. 751.

medioximus. Apul. d. d. Plat. I. 11. Plaut. Cist. 512. 611.

scitissimus occurrit Apul. Met. X. 32. 3 et Plaut. Stich. 184, „scitissime" legitur Apul. Met. IX. 11. 4 et Plaut. Stich. 273.

His addere nos oportet „paenissime" Apul. Met. VIII. 6. 24, florid. 16, pag. 22. 4, Apol. 99. Plaut. Aul. 466.

De adverbiis in „iter" pro „e" exeuntibus non opus est nos amplius dicere, ea in serie supra scripta enumeravimus.

In declinatione adjectivorum pronominalium sunt pauca nostra animi attentione digna. Ea vocabula in Genitivo exitum *ius* in Dativo *i* habere nullus est sextanus, quin sciat. Apuleius autem et ante eum Plautus eam legem non semper observaverunt. Apulejus scribit Met. VIII. 10. 17: „uno potiundi studio postponens omnia." Conf. Tit.

Com. 7: „uni" (Genitivus) Apul. Met. X. 28. 1, „inhians toto filiae patrimonio" Met. XI. 16. 25, „totae civitati notus." Met. XI. 17. 12: „praefatus principi magno senatuique et equiti totoque Romano populo." Plaut. fr. apud Varronem l. l. VII. 103: „gannit odiosus omni totae familiae" conf. Afran. com. 325.

Quae ad pronomina pertinent fere haec sunt.

Pronomen possessivum „cuius a um" (quoius a um) apud Plautum Terentiumque usitatissimum. Aurea, quae dicitur, aetate hac voce rarissime usi sunt. Apuleius Met. V. 15. 9: „sciscitari occipiunt... secta cuia proveniret."

Apol. 82: „cuiavis oratio insimulari potest." Tale compositum Plautus quoque offert Bacchid. 979. Vide Plaut. Amphit. 346, 375, Pseud. 701, Rud. 332 et passim. Conf. Terent. Eun. 321, Heaut. 996.

In declinatione pronominum demonstrativorum reperimus tales formas, quales modo in declinatione adjectivorum pronominalium notavimus.

Apul. Met. V. 31. 2: „oportune inquit ardenti prorsus isto pectori meo violentiam scilicet perpetraturae venitis."

Apul. Met. VI. 17. 17: „quidque jam novissimo periculo laborique isto temere succumbis?"

Apul. Met. VII. 26. 19: „caput quoque ipsum pessimo isto asino demetere."

Apul. Met. XI. 15. 10: „Sume jam vultum laetiorem candido isto habitu tuo congruentem." Plautus quoque talibus formis usus est, etsi non constat nominativum „istus", quem duo codices habent ad Mil. glor. 1233 sincerum esse. Conferre possumus Plaut. Truc. 790.

Porro invenimus Apul. apol. 99: „haec damna et dedecora morum eius patruo huic et candidato illo socero assignanda," quocum loco Neue (Formenlehre. II. pag. 427,) jungit Plaut. Stich. 560: „hercle, qui aequom postulabat ille senex, quandoquidem Filiae illae dederat dotem, accipere pro tibicina." (ex recensione Goetzii).

Novimus in fabulis comicorum sescenties reperiri formas, quales sunt „eccille, eccilla, eccillud." Apuleius tali forma usus est apol 53. Conf. Plaut. Aul. 781, Mil. glor. 789 et passim.

Ablativum pronominis relativi et indefiniti prisco sermone Latino „qui" pro „quo" in usu esse lippis et tonsoribus notum est. Apuleius eadem antiqua forma usus est Apul. florid 18 pag. 29. 4. (conf. Plaut. Capt. 828. (Cam) 1003. 1004), sed et in iis pronominibus indefinitis,

quae composita sunt, eandem Ablativi formam usurpavit, quod quin ex imitatione Plauti fecerit, nemo dubitare poterit, qui comparaverit locos Apul. apol. 7: (F φ V: quicquam, Colvius optime conjecit „quiquam)" et Plaut. Stich. 627 (quicumvis.) A legibus classicae linguae abhorrens est usus pronominis „quisque" eodem sensu quo „quicumque" vel „quisquis." Apul. Met. VII. 9. 27: „quique eorum recte sapiunt." (v. d. Vliet cum Bluemnero scribit, „qui quidem", sed codicum lectio mihi servanda videtur). Conf. Plaut. Capt. 798, Men. 571, 717, Mil. glor. 156, 160, 460.

Pervenimus ad verborum formas ab optima Latinitate remotas. Monere satis est magnam esse verborum copiam, quorum forma activa pro deponenti, forma deponens pro activa posita est. Ea enim enumeravimus in tabulis capitis primi.

„Quassare" et Plautus et Apuleius intransitive usurpare solent. Apul. Met. III. 26. 6, IV. 29. 24, VIII. 19. 1. Plaut. Asin. 403, Bacchid. 305.

Forma passiva pro activa utitur Apuleius Met. IV, 1, 2: „cum jam flagrantia solis caleretur" Plautus ita scribit capt. 80: „cum caletur, cocleae in occulto latent." Truc. 65.

Diversa a solita bonorum scriptorum ratione

est forma „suasus" Apul. Met. V. 6. 9, IX, 25. 14. Asclep. 25. Aliud exemplum verbi suadendi transitive positi est Apul. Met. V, 11. 17. Argumentorum Plautinorum scriptor, stili Plautini diligens imitator exemplum dedit Aul. arg. 6.

Quod ad verbi declinationem, repperimus haec. Priscianus ex Apulei libris deperditis servavit formam „apposiverunt" (X 37) Plautus Mil. glor. 905 scribit eandem formam.

Apuleius Met. VIII. 23. 12 forma utitur „conteruit" (sic F. „congerui" φ, „contrivi" δ), Apol. 8: „obteruerit" (φ V, Krueger scripsit „obtriverit").

Necesse duximus cum illis formis comparare lectionem loci Plautini Pseud. 818, quam praebent nonnullae antiquae editiones Prisciani „teruerunt", quamquam hodie ex codicibus Plautinis editur „triverunt."

(Conf. Charis. Instit. gramm. III ed. Keil I. 248. 4: „tero, teris, terui et trivi juxta Apuleium."

In Apulei Met. I. 22. 13 notavimus secundam personam generis singularis imperativi in „mino": opperimino. Unum alterumque exemplum extat apud Plautum Epid. 695: arbitramino, Pseud. 859: progredimino.

Apuleius in nonnullis formis a verbo dandi ductis,

antiquitatem redolet. Apol. 64: „pro isto mendacio duit deus — malam gratiam" (in anterioribus editionibus erat „duat", quod firmari possit loco Plautino Aul. 238: „ne duas") Plautus Aul. 672 scribit: „nam quod edit tam duim quam perduim" Asin 460: „ne duit si non vult", pluraque talia sunt.

In Met. IX. 21. 16, Apologiae 74: „qui istum di perduint." Plautus plurimus est in similibus enuntiationibus Asin. 467, Aul. 785, Cas. 642, Curc. 719, Men. 308, 451, 933. Merc. 710. Most. 668, conf. Turp. 102, Ter. Heaut. 811, Hec. 441, Phorm. 123.

Prisca forma futuri exacti „faxo" occurrit in Apuleio Met. I. 12. 15, 25. 25, IV. 25. 12, V. 30. 12, VIII. 12. 18. Plautus ea usus est Amph. 355, 632, Capt. 124, 622 et alibi.

Imperfecta verborum, quorum radix *i* finale habet, in „ibam" et „ibar" sunt priscae aetatis. Apuleius habet „abligurribam" Met. X. 1421 „insignibar" Met. XI. 24. 12. „mollibat" Apul. Met. X. 13. 31. „parturibam" Apul. Met. VII. 4. 26: „scaturribat" Met. IV. 6. 11: „munibant". Apul. de Mund. 26. Plautus fere nullam fabulam scripsit in qua non talis verbi declinationes reperiantur. Bacchid. 676, Aul. 178, Amph. 385 alibique.

A verbo „queo" et Apuleius (Met. X. 23. 7) et Plautus (Rud. 600) habet imperfecti formam „quibat", „nequitur" aliaeque formae passivae occurrunt praeterquam apud Catonem (orig. 1 fr. 23) in poëtis scenicis solis. Apul. apol. 2. Plaut. Rud. 1064, Pacuv. tr. 390.

Plautinum est in temporibus verborum, quae cum verbo „esse" formata sunt, non uti forma praesentis verbi esse sed perfecti, non imperfecti sed plusquamperfecti, cito exempli gratia Plaut. Amph. 186, 762, Men. 481, 488, Mil. glor. 118, Most. 694, 994. Eum frequentem Plauti usum imitatus est Apuleius Met. IV. 21. 3: „ut nemo quisquam fuerit ausus". Plura memoria digna de formis etymologicis non repperi.

## CAPUT QUARTUM.

**Syntaxeos discrepantiae a melioris aetatis auctorum scriptis Apuleio Plautoque communes.**

---

Proximum est, ut agamus de iis syntaxeos licentiis, quas Apuleius usurpavit, Plauto viam monstrante. Afferamus primum ea, quae in syntaxi casuum ab optima latinitate remota sunt.

Genetivum partitivum invenimus cum adverbio „largiter" conjunctum Apol. 28: „largiter aquae." Iam Plautus scripsit. Rud. 1188: „Credo illic inesse argenti et auri largiter." In eadem fabula 1315: „largiter mercedis indipiscar."

Adjectiva cum Genetivo conjuncta, remota ab usu classico haec sunt:

„illex" Apul. apol. 31: „illex animi Venus." Plaut. Poen. 745: „qui illi malae rei tantae fuimus illices."

6

„impos" Apul. Met. III. 12. 2: „impos animi" V. 22. 19: „impos animi". d. d. Socr. 3: „veritatis impos." Plaut. Cas. 629: „eripite isti gladium, quae suist impos animi" itemque Trin. 131, Truc. 828.

„cognominis" Apul. Met. I. 23. 8: „si contentus lare parvulo Thesei illius cognominis patris tui virtutes aemulaveris." Plaut. Bacchid. 39.

„dignus" et „condignus" Apul. Met. X. 12. 18: „providentiae divinae condignum." Plaut. Trin. 1153: „non ego sum salutis dignus."

Genetivum pretii verbo alligatum reperimus in nota illa sententia „nauci non putare." Apul. apol. 91. Plaut. Bacchid. 1102, Most. 1041.

Inter verba accusandi et damnandi jam aurea aetate cum Genetivo sceleris conjuncto verbum est, quod Plautus et Apuleius soli usurpant. Apul. Met. IX. 21. 3: „Myrmex vinculis obrutus, non quidem coram noxae prehensus, conscientia tamen pessima permixtus." Plautus Bacchid. 696: „quam, malum, facile, quem mendaci prendit manufesto modo?" Plautus Bacchid. 950 scribit: „doli ego deprensus sum", (Leo aliam lectionem dat: „in dolis ego prensus sum").

Credere cum Genetivo rei Apul. apol 73: „mihi"

soli ait rerum omnium confidere sese et credere. Plaut. Amph. 672, Asin. 459, Bacchid. 504, Poen. 337, Truc. 306.

Verbis copiae et inopiae rare tantummodo Genetivus jungitur. Alienum autem ab aliorum scriptorum lingua est verbum complendi cum Genitivo. Apul. Met. III. 2. 1: „magistratibus eorumque ministris et turbae miscellaneae cuncta completa" (mirus est hic usus conjungendi verbum complere uno loco cum Ablativo et cum Genetivo). Plaut. Amph. 470: „erroris ambo ego illos et dementiae complebo." Men. 901: „parasitus, qui me complevit flagiti et formidinis."

Verbum „satis agere" rem habet in Genetivo positam Met. VIII. 17. 13: „satis agentes rerum suarum", sic et Plautus „sat agitare" Bacchid. 637. Merc. 228.

Genetivi, qui locativi partis agunt, nonnulli apud Apuleium exstant, quales et in Plauto paucos repperimus. In Apuleio notavimus hos: Apul. Met. III. 2. 27: „mediae orchestrae sistunt" III. 16. 11: „tonstrinae residentem" IX. 33. 12: „nudae spinae meae residens." Plautus scribit Bacchid. 205: „proximae viciniae habitat."

Locativum „animi" verbis affectuum junctum,

quem Cicero tantum cum verbo pendendi usurpat, in Plauto cum multo pluribus verbis iungitur cujus exemplo fretus Apuleius scribere audet, Met. II. 11. 7: „recreabar animi" (conf. V. 22. 11, XI. 229).

Genetivum pertractavimus progrediamur ad Dativum.

Duo triave tantum verba in nostris auctoribus indagare potuimus, quibus usus alienus est ab melioris aetatis scriptoribus.

Unum est verbum „curare", cui et Plautus et Apuleius Dativum conjungunt. Apulejus apol. 35: „curare hominibus". d. d. Socr. 2: „certis potestatibus curant." Plautus Mil. glor. 482, Trin. 1057, Rud. 146, Truc. 137: „alienis rebus curas."

Alterum est verbum „decere", cui optimus quisque auctor accusativum addit, hi tamen cum Dativo construunt. Apul. florid. 16 p. 234: „deceat philosopho." Plaut. Amph. 820: „istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet. Pers. 213: „ut decet lenonis familiae." Conf. Ter. Heaut. 965, Adelph. 491, 928.

Tertium repperimus verbum „vitare" cum Dativo coniunctum. Plautus habet Cas. 211: „semper tu huic verbo vitato abs tuo viro. Curc. 298:

„vitent infortunio." Poen. prol. 25. Apul. apol. 29: „si vellem calumniis vestris vitare."

Pergamus per Accusativum.

In Apuleio habemus exemplum verbi corruendi, quod optimae notae scriptores intransitive usurpare solent, transitive adhibiti. In Met. VIII. 8. 13 legitur: „Charite .... corruit corpus." Hunc usum ex antiquioribus poëtis repetivit, Plautus Rud. 542, quamquam alia significatione verbum adhibet, et ipse pro transitivo illo utatur. Conf. Lucret. V. 368.

Verbum intransitivum „cenare" Apuleius usurpat cum objecto itemque verbum „cenitare" Met. IX. 1. 24: „sacrificales epulas .... cenitabat", Met. IX. 13. 16: „ut .... cenarem asperrimum foenum."

Iam inde a Plauto exemplum exstat Truc. 273, Asin. 936.

Illa verba deponentia, quae aurea aetate ablativum regebant, Plauti et Terentii aetate saepe accusativum secum habebant; posteriores vero scriptores eandem secuti sunt rationem. Itaque apud Apuleium reperimus Met. VIII. 12. 21: „nuptias non frueris", apol. 72, quacum verbi constructione conferas locos Plautinos Rud. 1012, Trin. 827, Apul. Met. VI. 12. 19: „Psyche non obsequium

illa functura", Met. VIII. 16. 6: „timorem perfuncti." Plaut. Most. 45 (conf. Ter. Heaut. 580, Phorm. 281.) Apul. Met. X. 35. 19, „portam potitus." florid. 15, pag. 18. 3 Plaut. Rud. 190 (Ter. Adelph. 876, Caec. 109, Turp. 146, Pac. 56. 289.)

„Medicare(i)" aeque atque „mederi" Dativum regunt apud optumum quemque scriptorem. Apuleius scribit apol. 59: „nuptiis valetudinem medicandam esse" conf. Plaut. Most. 387 (Apul. Met. VIII. 17. 10: „iniquitatem ponderis medebatur" conf. Ter. Phorm. 822).

De „suasus" vide caput tertium inter discrepantias etymologicas.

Cum in Ablativo nihil sit, quod a lingua classica recedit et ambobus scriptoribus proprium est, ea quae diximus de casuum licentiis, sufficiant.

Progrediamur ad praepositionum usum, qualem Plauto et Apuleio communem reperimus.

Praepositio *ab* ponitur pro „quod attinet." Apul. Met. IV. 21. 7: „perivit sed a gloria non perivit." Plaut. Truc. 47: „bis perit amator ab re atque ab animo simul," Aul. 186: „Meg. Ain tu, te valere? Eucl. Pol ego haud perbene a pecunia," Cist. 60: „doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab aegritudine," Epid. 129: „a morbo valui, ab animo aeger fui," Mil. glor.

631: „ne utiquam ab ingeniost senex," Truc. 833: „ab ingenio improbust," Conf. Ter. Heaut. prol. 13.

Praepositio *de* interdum eadem significatione usurpatur qua *propter* vel *prae*. Apul. Met. I. 12. 3: „lacrimae saepicule de gaudio prodeunt." Plaut. Cas. 415: „de labore pectus tundit."

*ex* usurpatur ut vulgo *secundum* loco Apuleiano Met. VII. 25. 3: „quippe consuetus ex forma concidi fustibus." Tale quid repperisse mihi videor in Plauti Mil. glor. 791: „itaque eam huc ornatam adducas, ex matronarum modo" (conf. Mil. glor. 947: „ex sententia," Trin. 707, „ex argumento," Cist. 562: „ex Tusco more.") Vide quae v. d. Vliet scripsit in Archiv. f. Lat. Lex. X. 3.

*ex* interdum abundanter ponitur, ubi sermone classico ablativus exhibetur. Apul. Met. II. 32. 22: „ex summis viribus." Apol. 1 et 2 (utroque loco legitur: „ex summis viribus.") Plautus Mil. glor. 620: „ex opibus summis" Merc. 111: „ex summis opibus viribusque." conf. Apul. Met. VII. 24. 20: „ex summo studio" (ita praestat legi, φ habet: et, F ostendit lacunam) Met. VIII. 5. 16, IX. 15. 16. Idem usus praepositionis *ex*, quamquam particula his in exemplis non iisdem verbis juncta est,

reperitur Plaut. Pseud. 56: „expressam in cera ex anulo suam imaginem." Stich. 242: „nunc Miccotrogus nomine e vero vocor."

Usum praepositionis *absque* Apulejus petivit et fortasse ex aliis prisci aevi scriptoribus et maxime ex Plauto. Apulejus haec offert: Met. IX. 25. 10: „absque noxa nostri" (ubi *absque* plane sensum praepositionis *sine* recipit) et Apol. 55: „absque omnibus profanis" (quod significat omnibus profanis remotis) Apul. d. d. Plat. 2. 23: „cum absque hac (virtute) .... non possit felicitas inveniri." Plautus his fere locis: (utitur particula *absque* semper hac significatione: si quid non esset, fuisset) Bacchid. 412, Capt. 754, Men. 1022, Pers. 836 sq., Trin. 832. 1127. (Conf. Ter. Hec. 601, Phorm. 188.)

In praepositionibus, quae accusativum regunt, nonnulla sunt digna, quae notentur.

Praepositio *ad* usurpatur, ut modus ratiove significatur. Ita Apuleius dicit Met. IV. 26. 7: „impetus ad belli faciem saeviens." „Ad faciem," quantum scio in litteris Latinis non occurrit nisi in Plauto Merc. 427: „senex est quidam, qui illam mandavit mihi ut emerem [aut] (Leo) ad istanc faciem."

Notabilis est usus praepositionis *„apud"* pro *„ad"* melioris aetatis. Apul. Met. IX. 10. 25: „cantharoque et ipso simulacro, quod gerebam apud fani donarium redditis ac consecratis. Plaut. Pers. 22: „fui praeferratus apud molas tribunus vapularis." Pers. 203: „Apud hanc obicem (Valla)." Apul. Met. VII. 16. 10.

Haud minus alienus ab melioris aetatis elocutione est locus Apuleianus Met. I. 24. 1: „condiscipulis apud Athenas Atticas meis." Hanc prepositionis *„apud"* positionem pro Locativo reperimus Plaut. Epid. 53: „id a deo argentum ab danista apud Thebas sumpsit faenore" Plaut. Asin. 606 „apud Orcum te videbo."

*ob* praepositio, quae significatione locali apud classicos, qui vocantur scriptores verbis quiescendi solis subjungitur et priscis temporibus et posteriore aetate etiam cum verbis quibus movendi notio inest, usurpatur. Apul. Met. II. 32. 19: „digitis pedum detunsis ob lapides." Plaut. Mil. glor. 148: „glaucumam ob oculos obiciemus," Merc. 924: „ob oculos adduxerit." Novus est locus Apuleianus VIII. 15. 5: „ob iter illud." Cujus exemplum est et Plauti et aliorum etiam meliorum scriptorum elocutio „ob viam." Plaut. Pseud. 1061, quam-

quam notio loci Apuleiani, ubi praepositio pro „juxta" stat, inaudita est.

Praepositio *ante* Kretschmann pag. 115 l.l. monstrante, cum superlativis rarius conjungitur, ex Apuleio laudat Met. IX. 14. 22: „ante cunctas mulieres longe deterrimam." Talem rationem vim elocutionis augendi cumulandive satis notam ex comicis Latinis credo etiam Apuleium inde petiisse. Conf. Plaut. Asin. 857: „scito illum ante omnis minumi mortalem preti." Ita v. d. Vliet Apul. Met. VII. 17. 20 praepositionem „*prae*" inseruit. Scribit „prae omnibus ille quidem deterrimus."

*erga* apud Apuleium praepositio est significatione locali praedita d. d. Plat. I. 13: „erga regiam capitis constitutus." Comparandus est locus Plautinus Truc. 406: „nostras erga aedes" (verum est hunc locum corruptelis laborare, putavi tamen ne id quidem reticendum, ut notioni singulari huius praepositionis quodam modo lux afferretur.)

*inter* praepositio auctior forma est praepositionis „*in*, quae antiqua notio servatur Plaut. Cist. 505: „inter novam rem verbum usurpabo vetus." Ita locus Apuleianus, qui legitur Met. VI. 3. 23: „iter retrorsum porrigens inter subsitae convallis sublucidum lucum," explanari potest.

De praepositione *in* Kretschmann pag. 118 docet locum Apuleianum Met. VI. 21. 21: „amator levis in pinnas se dedit" insolentiorem esse. Credo, attamen sine exemplo non erat. Fere nihil discrepat ab his Plauti verbis Capt. 121: „Si non est quod dem, mene vis dem ipse.... in pedes?"

Locus Apuleianus d. d. Plat. 2: „in quorum tutelam atque fidem respublica illa creditur" minus insolens nobis videbitur, si illum contulerimus cum hoc versu 441 Pers. Plaut.: „fortasse metuis in manum concredere?"

Ea sunt quae de praepositionibus afferre potuimus. Transeamus igitur ad pronominum syntaxeos licentias.

Notandus est abundans ille usus pronomina accumulandi, qui Apuleio cum comicis communis est. Iam primo metamorphoseon libro exemplum occurrit neque fere ullus liber est, quin iis licentiis ornatus sit. Met. I. 6. 8: „a suis sibi parentibus... compellitur." Vide Met. I. 10. 13, IV. 32. 14, V. 1. 6, VI. 30. 2, VII. 13. 3, 28. 22, VIII. 14. 26, IX. 40. 1, in Apologiae c. 69: „sua sibi voce suisque verbis sese revincat." Florid. 9 pag. 10. 18: „suis sibi manibus confecerat." Vide etiam 16 pag. 21. 13, 18 pag. 30. 3, 23 pag. 36. 11.

Plautus complura similia exempla offert, Amph. 269: „(me oportet) hunc telo suo sibi malitia his a foribus pellere." Asin. 825, Capt. 5, 46, 50, 81, Mil. glor. 632, Pers. 81, Poen. 487, 1083, Trin. 156. Haec cumulatio non tantum ad tertiam personam pertinet sed eam etiam in prima secundaque adhibitam esse apparet ex his Plauti locis Truc. 698: „ubi male accipiar mea mihi pecunia," Bacchid. 994: „justumst tuus tibi servus tuo arbitratu serviat."

Pronomen „ille" sequente pronomine „is" recipitur Apul. apol. 4: „item Zenonem illum antiquum Velia oriundum.... eum quoque longe decorissimum fuisse." Florid. 7. pag. 7, 6—13. Plaut. Asin. 527: „illos, qui dant, eos derides," Men. 678, Poen. prol. 119. 120, Pseud. 502.

Ut acrius sententia negaretur, Apuleius non usus est particula „non" sed adjectivum pronominali „nullus" adhibere amat. Met. VII. 17. 2: „nullus tamen desinebat identidem vulnus sanguine delibutum obtundere." Vide etiam VIII. 19. 3, IX, 30. 9, quod orationis genus noster deprompsit de comicorum fabulis. Conf. Plaut. Asin. 408, Trin. 606: „at tu edepol nullus creduas." Ter. Eun. 216, Hec. 78 et passim.

„nihil quidquam" Apuleius usurpat. Met. IV. 7. 5, VII. 25. 24. florid. 9. pag. 9. 13: „nihil quidquam sinit neglegenter.... hiscere" (Ita Hildebrandius, Krueger: „nihil nequicquam sinit [neglegenter]... hiscere," quibus de pronominibus conjunctis Kretschmann pag. 93. affirmat Apuleium ea e Terentio petiisse, qui plurimus est in illis. Neque tamen Plautus nos plane destituit conf. Trin. 369.

Apul. Met. IV. 2. 13. Apol: 7. „nemo quisquam fuerit ausus." Et hujus usurpationis exemplum apud Plautum exstat Cas. 1008.

Quod ad verba, fere nihil est, quod ita ab aliis solutae orationis scriptoribus abhorreat, ut hic commemorari opus sit. Apuleius, id tantum proferre volo, permultus est in utendo Infinitivo cum adjectivis et verbis, quibuscum meliore aetate conjunctus esse non solebat. Cum autem hic usus ne optimae aetatis quidem poetis ignotus inusitatusve esset, hac de re tacemus. Unum tantum exemplum, cujus et Plauti consuetudo est, laudemus. Est verbi veniendi cum Infinitivo constructi. Apul. Met. VI. 9. 14: „maritum intervisere venisti." Confer. Plaut. Rud. 94 „ad fanum veni visere."

Restant quaedam, quae quia pauciora sunt quam

ut ad diversa genera redigi possint, in unum colligemus.

In Apuleio reperimus pro Accusativo cum Infinitivo post verba sentiendi et declarandi constructionem cum conjunctione „quod" esse usurpatam. Vide Apol. 79: „credo nunc, quod Pudentilla me in eo tempore non amabat." Unum paucorum exemplorum ejus rationis dicendi in anterioribus scriptoribus legitur Plaut. Asin. 52: „equidem scio jam, filius quod amet meus."

Apuleius in Apol. 17. conjunctionem „quoniam" ita utitur, ut aurea aetate „postquam" usurpari solebat; scribit: „quoniam ad villam publicam venerat." Usus est Plautinus vide Asin. 711, Aul. prol. 9, Cist. 164, Poen. 665.

Apud antiquissimos scriptores eae sententiae, quae modum optativum habent, interdum auspicantur conjunctione „ut". Plaut. Capt. 115: „sed uti adserventur magna diligentia" Pers. 786: „quem pol ego ut non in cruciatum atque in compedis cogam." (conf. Ter. Ad. 280). Quod et Apuleius imitatus est in Apologiae Cap. 46: „sed nihil amplius dico: ut producant."

„Jubere ut" ex vulgari oratione desumptum est. Saepissime comici eam constructionem usurpant.

Non opus est igitur multos locos laudare. Unus pro multis erit. Plaut. Men. 955. Apuleius et hac in re antiquos sectatur. Met. I. 23. 23, florid. 23, pag. 36. 8.

Sententiae relativae, quae vocantur, quae a conjunctione „quippe" incipiunt Ciceronis Caesarisque aetate semper cum conjunctivo construuntur, quod omnis melioris notae scriptor imitatus est. Eas tamen Plauti temporibus cum Indicativo positas esse, testantur nonnulli versus Plautini, quales sunt Amph. prol. 22: „quippe qui intellexerat." 745: „quippe qui ex te audivi," Bacchid. 369, Rud. 384, Truc. 68. Apuleius Plautum hac in constructione secutus est Apol. 29: „quippe qui nulli fuerunt."

„utcumque" quod indicativum regere debet, et apud Plautum et apud Apuleium cum conjunctivo exstat Apul. Met. I. 20. 20: „utcumque fata decreverint." Plaut. Bacchid. 661: „utcumque res sit, ita animum habeat."

Mira est constructio „diu est quod," quae legitur Apul. Met. I 24. 4: „Sat pol diu est quod intervisimus te." Firmatur autem loco Plautino Amph. 302: „jam diu est, quod ventri victum non datis" (ex lectione Fleckeiseni, Leo dat „quom").

Notabilis est etiam haec constructio, cuius exemplum tantum invenimus apud Comicos „nequeo quin" Apul apol. 48, Florid. 17 p. 27. 25. Plaut. Mil. glor. 1342. (conf. Terent. Hec. 385.) „proinde-ut," quod legitur apud Apuleium Met. V. 11. 5: „proinde ut maerebant." d. d. Socr. 1: „proinde ut majestas postulabat." c. 13. et c. 21. Apol. 61: „proinde ut loculi suppetebant." Occurrit tantum apud comicos. Plaut. Capt. 307: „proinde ut ipse fui imperator familiae." Capt. 314, Amph. 517, Cas. 96, Men. 953, Pseud. 679, Trin. 65. Conf. Terent. Hec. 218, Andr. 408.

Pervenimus ad adverbia, quorum cumulatio vel geminatio utrique nostrorum auctorum usitata est.

Duo adverbia synonyma una posita reperiuntur Apul. Met. I. 22: „hic ibidem me opperimino." Florid. 18, pag. 28. 11: „hic ibidem varias civitates substituere." Tale quid notamus in Plauti Capt. 1000: „illic ibi demumst locus."

Alia res haec est: adverbium explanatur appositione nominis loci. Apuleius scribit Met. VI. 5. 8, „illic in domo matris." Qui usus ei frequentissimus est confer. Met. VI. 12. 20, VII. 2. 17, VIII. 14. 4, 18. 10, 26. 15, X. 26. 21, XI. 6. 21, 17. 10. Florid. 6, pag. 6. 4. Apud Plautum ejus

consuetudinis exempla exstant Capt. 330: „filius meus illic apud vos servit captus Alide," Cas. 380: „vide ne qua illic insit alia sortis sub aqua."

Minus certa sunt" Most. 500 sqq:

„per fidem deceptus sum: hospes [hic] me necavit isque me defodit insepultum clam [ibidem] in hisce aedibus." Ita Plaut. Curc. 475:

„in foro infimo boni homines atque dites ambulant.
in medio propter canalem, ibi ostentatores meri." Curc. 480:

„sub veteribus ibi sunt, qui dant quique accipiunt faenore,
pone aedem Castoris, ibi sunt subito quibus credas male
In Tusco vico, ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.
vel qui ipsi vorsant vel qui aliis ubi vorsentur praebeant"

conf. Plaut. Capt. prol. 60, Curc. 527, Cist. 675, Epid. 602, Men. 631, Most. 6, Trin. 67, 97, Truc. 369.

Cumulatio particularum apud Apuleium multa est, earumque et Plauto propria est haec:

*ergo igitur* Apul. Met. I. 5. 19: „ergo igitur

inefficaci celeritate fatigatus commodum vespera oriente ad balneas processeram, ecce Socratem contubernalem meum conspicio." Conf. Met. II. 18. 25, 28. 10, III. 19. 12, (ergo igitur Eissenhardt, ego „igitur" v. d. Vliet) IV. 2. 22, V. 11. 18, VII. 9. 29, 15. 25, 19. 29, IX. 17. 8, 22. 8, 39. 25, X. 3. 23, 35. 11, XI. 5. 22, 21. 21, 28. 11. Plaut. Trin. 756: „quo pacto ergo igitur clam dos depromi potest." Conf. Plaut. Most. 848.

*quod enim* Apul. Met. IX. 11. 24: „quod enim rebar, ut minus aptum et huius modi ministerio satis inutilem me ad alium quempiam utique leviorem laborem deligatum iri vel otiosum certe cibatuiri". Ita et Met. IX 25. 1, X. 23. 27, XI. 19. 16. d. d. Plat. 2. 17. *Quod enim* apud Plautum invenire non potuimus, similis tamen ratio dicendi est *quia enim:* Plaut. Amph. 659: „quia enim sero advenimus". conf. Epid. 299, Mil. glor. 834, Bacchid. 50, Capt. 884.

*etiam-quoque* reperitur Apul. Met. VII. 26. 19: „libet non tantum naturam verum etiam caput quoque ipsum pessimo isto asino demetere." Met. XI. 27. 29 (me quoque peti magno etiam deo famulum cdd, me magno etiam deo quoque peti famulum v. d. Vliet.) Plaut. Asin. 502: „atque

etiam tu quoque ipse," et 567. conf. Amph. 702, Curc. 131, Pseud. 122. Ita et Plautus usurpat *quoque etiam* Truc. 875.

His facile addi potest, consuetudo *rursum* sive *rursus* cum verbis a *re* incipientibus copulandi, qualis perspicitur Apul. Met. I. 1, 6: „figuras.... in se rursum mutuo nexu refectas." compone Apul. Met. III. 12. 29, 23. 18, IV. 3. 12, 18. 31, V. 15. 15, VI. 19. 6, 21, 15. VII. 9. 26, 11. 25, 17. 16. VIII. 24. 8, IX. 20. 22, X. 2. 26, 10. 30, 33. 14, XI. 19. 7, 21. 20, 23. 5. Plaut. Mil. glor. „redeo rursum," itemque Mil. glor. 701, Trin. 182, Poen. 79. (Tale quid parva mutatione videmus Apul. Met. VIII. 2. 8: „deorsus delapsum nutriens Amorem." d. d. Socr. 10. Haec de qua disputavimus consuetudo ex eo orta est, quod nostri auctores plebis dicendi rationem secuti, vocabulorum notiones augere conantur.

Ita vim comparativi *magis* adverbio addito augent, quod et in Apuleio et in Plauto occurrit Apul. Met. XI. 10. 6: „videbatur aequitati magis aptior quam dextera." Plaut. Amph. 301: „igitur demum magis maiorem in sese concipiet metum." Vide et Capt. 644, Men 55, Stich. 699, Poen. prol. 82.

Etiam auctior forma est ubi comparativo *multo*

*tanto* subjungitur, cujus usurpationis occurrunt exempla haec: Apul. Met. VII. 15. 5: „quod.... multo tanto pluribus beneficiis honestarer"... conf. Met. X. 21. 18, florid. 18 d. d. Socr. 11. Plautus Bacchid. 310 scribit: „ne ille hercle mihi sit multo tanto carior." Men. 800, Stich. 339, Rud. 521.

Eadem iis est causa scribendi *nimis quam* pro valde. Apul. apol. 48: „quaesisti tu nimis quam prudenter." Plaut. capt. 102: „quod quidem ego nimis quam cupide cupio ut impetret." Conf. Most. 511. Truc. 468.

Neque aliter conjungunt *nimium quam* (Ita enim scribit Oudendorpius contra Hildebrand, Eissenhardt, v. d. Vliet, qui „nimiumque" in textum admittunt.) Apul. Met. III. 27. 31: „insurgo valide et cervice prolixa nimium quam porrectis labiis (v. d. Vliet cum codd. nimiumque), quocum loco compara Plaut. Bacchid. 121: „quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem."

Neque puto hunc locum esse praetereundum, ubi Apuleius notione valde exaggerata *minimo minus* adhibet Apul. Met. I. 4. 17: „mollitie cibi glutinosi faucibus inhaerentis et mea gula (meacula, v. d. V.) spiritus detinentis (distinentis F) minimo minus interii (eadem vocabula junctim posita

Florid. 12 pag. 14. 11.") Similem vel paulum discrepantem abundantiam perspicimus in his Plauti enuntiationibus, Bacchid. 672: „immo vero nimio minus multo parum." Rud. 460: „nimio minus altus puteus visust quam prius." Conf. Truc. 673.

Denique addi potest locutio „certo certius" Apul. Met. IX. 41. 1, X. 28. 11. Plaut. Capt. 664, quam haud facile alias reperias nisi apud juris consultorum discipulos. Hic disputationi nostrae de nostrorum auctorum in syntaxi licentiis finem imponimus.

## CAPUT QUINTUM.

**De Plauti vocabulis et sententiis in Apuleio repertis.**

Opus, in quo plurima dicta reperiuntur, quae Apuleius a Plauto mutuatus est, Metamorphoses dicere non dubito, quod nemo mirabitur, qui hoc cogitet, quoties aurei illius asini argumentum et ceterorum comicorum et Plauti fabulas sibi in memoriam reduxerit, ita ut bonam narrationis partem paucas in scenas dividi, personas histrico cultu ornari tantum oporteat, ut haud illepida immo lepidissima cujusdam comici poëtae fabula haberi possit.

Neque minus perspicuum est hoc, quod plurima dicta, quae nos ad veteris comoediae memoriam excitent, in Metamorphoseon dialogo reperiuntur. Eum enim sermonem conferunt inter se ejusdem conditionis homines, quos et Plautus in fabulis inducere solet. Non mirum igitur, si Apu-

leius priscae linguae et maxime antiquae comoediae ut est amantissimus, quotiescumque sibi aliquod dictum opus est, ex eo vocabulorum thesauro, ut perenni fonte haurit, ut sui operis personae vere Plautine i. e. plebeculae ritu loquantur. Reputemus igitur, quid ex Plauti fabulis deprompserit.

Statim animus nobis convertitur ad illorum vocabulorum copiam, quae alia blanditias et assentationes, alia convicia exsecrationesque significant. In metamorphosibus legendis et relegendis illius generis repperimus haec:

Pronomen possessivum sescenties vocativis additur, ut amantis et blandientis animus perspicuus reddatur Apul. Met. I. 6. 1, 11. 28, 17. 3 aliaque passim. conf. Plaut. Cas. 586, 588. Cist. 53. Pers. 620. aliaque passim.

Blande diminutiva ponuntur Apul. Met, IX. 5. 23. Plaut. Cas. 700, 762, 840: „uxorcula." Apul. Met. II. 10. 7: „mea festivitas" (pro mea festiva puella) Plaut. Cas. 105, 577, Poen. 389. Apul. Met. V. 6. 20: „mellite mi, mi marite." Adjectivo a substantivo „mel" (quod Plautus et ipsum usurpat inter blanditias Bacchid. 1197: „mel meum" Curc. 164, Trin. 244, Truc. 528) deducto utitur Apulejus. Etiam diminutivum in ore amantis versatur Apul.

Met. VIII. 22. 23, „mea mellitula", ut Plautus Cas. 135 jam dixerat „mea mellilla." Apulejus Apol. 9: „meum mel."

Plautus saepius usus erat avium aliorumque pusillorum animalium nominibus, ut iis blandimentis amantes inter se appellarent. Bonum huius moris exemplum exstat in Plauti Cas. 138 „meus pullus passer, mea columba, mi lepus",

et in Asin. 666 sqq:

„dic me igitur tuom passerculum, gallinam, coturnicem

agnellum, haedillum me tuom dic esse vel vitellum."

et 694: Dic igitur med aniticulam columbam vel catellum

hirundinem, monerulam, passerculum putillum.

Videmus quantam talium vocabulorum copiam Apulejus invenerit, unde ceperit Met. X. 22. 2: „in summa teneo te inquit, teneo meum palumbulum, meum passerem." Hujus palumbuli etiam Plautus exemplum dedit Bacchid. 51.

Voce „pullus" Apuleius quoque habet Met. VIII. 26. 25: „heus, aiunt, cave ne solus exedas tam bellum scilicet pullum" Conf. Plaut. Cas. 138.

Sed ea sufficiant, transgrediamur ad convicia, quorum etiam maior est numerus.

Convicium frequentissimum apud Plautum est „malum" pro „sceleste homo." Plaut. Amph. 403, 604, 626, Aul. 429, Epid. 710: „quae haec, malum, impudentiast." Cas. 92, 262, 472. Apulejus id usurpat Met. IV. 25. 8 (id „malum" ab aliis explicatur ut interiectio. Apuleius autem alio loco „bonum" scribit ad similitudinem illius interjectionis „malum" Apul. Met. X. 16 pag. 234. 15.)

Quis, qui unam tantum Plauti fabulam legerit, nescit quam creber sit in utenda voce „verbero" Plaut. Amph. 180, 284, 344, 519, 565, 1029 (nota tot locos ex una fabula sumptos.) Capt. 550, Merc. 189, Most. 1132, Mil. glor. 500, 1056. In Apuleio huius conuicii haec exempla extant: Met. VIII. 31. 12, X 7. 12, 9. 9, 10. 23.

In unaquaque fere fabula Plautina occurrit notum illud „furcifer" Amph. 285, Most. 68, 1172, Mil. glor. 545. Quod et Apuleius in suum usum vertit. Met. X. 4. 18, 9. 4, 16. 5.

„Lurco" quod legitur. Apul. Met. VIII. 25. 25, non minus est Plautinum. Pers. 421, qui locus conviciis ita oppletus est, ut utile censeam eum laudare:

„vir summe populi, stabulum servitricium
scortorum liberator, suduculum flagri,

compedium tritor, pistrinorum civitas,
perenniserve, lurco, edax, furax, fugax."

„frutex" de stupido stolidoque homine usurpatur Apul. apol. 66. in imitationem Plauti Most. 13. De insolentissimis nec non de impudicissimis hominibus Plautus „propudium" „propudiosus" utitur. „Propudium" Plaut. Bacchid. 579, Curc. 190, Poen. 272, „propudiosus" Stich. 310, Truc. 271. Apuleius Met. VIII. 22. 13 item dicit „spurcissima illa propudia."

De homine in falsis exercitato dicitur „periurum caput" Apul. Met. IX. 21. 14. Conf. Plaut. Most: „penitus periurum caput."

Ut Plautus vocabulo „vervex" utitur, ut alicui stupiditatem objiciat Cas. 535, ita Apuleius ea voce semper cum quadam contemptus significatione utitur Met. VII. 23. 29, VIII. 25. 18.

Notabile est convicium „thesaurus fraudis" Apul. Met. V. 14. 17, quocum compara Plauti Merc. 163: „Perii tu quidem thensaurum huc mi adportavisti mali."

De avidis hominibus „vulturius" utrique nostrorum auctorum in usu est Apul. Met. X. 33. 20: „togati vulturii." Plaut. Trin. 101: „Tum autem sunt alii, qui te volturium vocant: hostisne an

civis comedis, parvi pendere." Conf. Truc. 337. Apulejus autem in libro d. d. Plat. II. 15: „Hunc talem Plato lucricupidinem atque accipitrem pecuniae nominavit." Ita et Plautus loquitur Pers. 409: „pecuniae accipiter avide atque invide."

Decrepita anus appellatur ab Apuleio Met. IV. 7. 1: „busti cadaver." Non longe absunt verba Plautina, quibus usus est Pseud. 412: „ex hoc sepulchro vetere."

Apul. Met. IV. 7. 2 eadem anus, de qua modo dixi, vocatur „vitae dedecus". Nonne est plane simile huic Plautino: „capuli decus" Asin. 892. Iratus ille latro grandaevae illi mulieri etiam hoc ingerit: „Orci fastidium solum" (Met. IV. 7. 2) quod in memoriam nos reducit Ballionis verborum (Plaut. Pseud. 795 sq.) „quin ob eam rem Orcus recipere ad se hunc noluit, ut esset hic qui, mortuis cenam coquat."

Ex animalium nominibus, quibus multis Plautus pro conviciis uti solet, Apuleius sibi elegit vocem „excetra", quam usurpat de mala et litigiosa femina. Plaut. Cas. 644, Pseud. 218. Apul. Met. X. 28. 20.

His adjiciamus eam enuntiationem quam reperimus Apul. apol. 74: „qui istum di perduint."

Confer. Plaut. Asin. 467: „Hercle istum di omnes perduint." Aul 785, Curc. 720, Men. 308.

Facilis est transitus ad eas enuntiationes quae agunt de poenis et maleficiis tam servorum quam ingenuorum.

Primum igitur Apuleius eodem vocabulo, quo et Plautus utitur pro carcere scilicet „robur" Apul. apol. 81: „o subtilitas digna carcere et robore." Plaut. Poen. 1153: „Lachanna vos, quos ego jam detrudam ad molas inde porro ad puteum atque ad robustum codicem."

Mirae similitudinis sunt loci Apulei Met IX. 10. 24: „in Tullianum compingunt" et Plauti Amph. 155: „quid faciam nunc si tresviri me in carcerem compegerint." Men. 938: „in carcerem ted esse compactum scio." Poen. 1409.

De vocabulis „patibulus" et „patibulatus" utrique usitatis jam in indicibus nostris capitis primi diximus.

Verba, quae leguntur Apul. Met. IX. 21. 18: „conterere vincula" componi possunt cum hoc Plauti loco Aul. 602: „rediget.... in splendorem compedes."

Apul. Met. I. 14. 23: „destinatae cruci candidatus." Nonne is locus nobis in memoriam reducit

similem Plauti locutionem Aul. 59: „Continuo hercle ego te dedam discipulam cruci?"

De verberationibus haec fere inveniuntur: Apul. Met. IV. 3. 20: „me totum plagis obtundit." Met. IX. 39. 22: „viti, quam tenebat obtundens eum." Conf. Plaut. Amph. 606: „sum obtusus pugnis pessime."

Neque minus inter se comparandi sunt hi loci: Apul. Met. VI. 28. 12: „plagarum suasu quae me saepicule commonebant." cum Plauti. Stich. 63: „ego vos commonefaciam monumentis bubulis."

Verba, quae scripta leguntur Apul. Met. IX. 12. 15 non fieri potest, quin nos moneant Plautinae dictionis. Verba Apuleiana haec sunt: „homunculi vibicibus lividineis totam cutem depicti." Plautus scripsit. Epid. 625. Sq:

„Ex tuis verbis meum futurum corium pulchrum praedicas,
Quem Apella atque Zeuxis duo pingent pigmentis ulmeis."

Verbum effligendi ab utroque auctore, ut alio loco jam vidimus, usurpatur.

De cadaveribus ferarum volucri generi projectis, Apuleius haec habet Met. VI. 26. 20: „protinus eum vulturiis gratissimum pabulum futurum prae-

cipitabo" (Conf. Met. X. 17. 3: „me obtruncatum vulturiis opimum pabulum redderent"). Plautus in Rudente 770.: „teque ambustulatum obiciam magnis avibus pabulum."

In pistrino, quo Lucius asinus perductus est, vidit miseros homunculos, quorum, „frontes litterati" (Apul. Met. IX. 12. 20). i. e. stigmate notati, quam dictionem reperimus et in Plauti Cas. 401: „si hic litteratus me sinat."

De crurum fragio vide supra capite secundo sub verbo.

De misero asino vehementibus verberibus affecto Apuleius III. 29. 15 scribit: „caedentes hinc inde miserum corium nec cribris jam idoneum." Confer Plauti. Most. 55: „o carnuficium cribrum quod credo fore, ita te forabunt patibulatum per vias stimulis carnifices."

Ubi de malificiorum poenis sermo est, adjungi potest vocabulum significans certum genus malificiorum. Apuleius usurpat vocem „perfossor" Apol. 32. Plautus eodem vocabulo utitur sed planius definit voce „parietum" addita. Vide Plaut. Pseud. 979.

Hic, cum nobis sermo est de poenis, maxime de iis servis impositis non absurdum videbitur,

si in tam difficili re materiem diversa in genera dividendi, huic parti aliquid de servis subjungemus.

Servus, qui cum nova nupta inter dotis res in domum mariti venit et apud Plautum et apud Apuleium nomine „servi dotalis" appellatur. Apul. Met. X. 4. 15: „adsumpto statim nequissimo et ad omne facinus emancipato quodam dotali servo." Plaut. Asin. 85: „dotalem servom Sauream uxor tua adduxit."

Satis magna copia vocabulorum et sententiarum ad rem Veneriam pertinentium Plauto Apuleioque communis est.

Verbo „convenire" notio adjuncta est „in venerem se conjungere." Apul. Met. IV. 27. 5: „denique flere et vapulare et jugulari lucrosum prosperumque proventum nuntiant, contra ridere et mellitis dulciolis ventrem saginare vel in voluptatem veneriam convenire, tristitie animi, languori corporis damnisque ceteris anxiatum iri."

Ipsum verbum „convenire" quidem hac significatione apud Plautum non reperitur sed enuntiatio cognata exstat. Mil. glor. 138:

„itaque ego paravi hic intus magnas machinas
qui amantis una inter se facerem convenas."

Deinde occurrit „contrectare". Obscoene utitur Apuleius Met. VIII. 7. 3: „cunctis tamen mentitae pietatis officiis studium contrectandae mulieris adhibere," quod petiit a Plauto Asin. 522:
„quotiens te votui Argyrippum filium Demaeneti
Compellare aut contrectare conloquive aut contui."
conf. Plaut. Mil. glor. 1052, Poen. 695.

Tum „comprimere" Apul. Met. X. 5. 7: „quod ejus probosae libidini qua se comprimere temptaverat noluisset succumbere." Conf. Plaut. Truc. 262: „Comprime sis iram." Truc. Eram quidem hercle tu quae solita es, comprime impudens, quae per ridiculum rustico suades stuprum." Plaut. Epid. 540: „Certo east.... quam in Epidauro pauperculam memimi comprimere."

„imminuere" eadem notione usurpatur qua „constuprare". Apul. florid. 14 pag. 16. 9: „ducit Cynicus in porticum ibidem in loco celebri coram luce clarissima accubuit coramque virginem imminuisset paratam pari constantia ni e. q. s. Plaut. Cist. Cist. 88: „neque pudicitiam meam mi alius quisquam imminuit."

„subigitare" legitur Apul. apol. 87: „Cur autem tam absurdis tamque tabernariis blanditiis subigitarem, quem idem aiunt versibus amatoriis satis

scite lascivire?" Plaut. Mil. glor. 652: „neque ego unquam alienum scortum subigito in convivio". Mil. glor. 1502, Cas. 964, Merc. 203, 204.

„exedere" Apul. Met. VIII. 26. 25: „et heus aiunt cave ne solus exedas tam bellum scilicet pullulum." conf. Plaut. Curc. 45: „minus formidabo ne exedat" (ita codices correxit Lambinus in „excidat"). Ita Plautus verbum comedendi usurpat Pseud. 1126.

„dirumpi" obscoene positum est Apul. Met. VII. 21. 21: „misera illa compavita atque dirupta" Met. X. 22. 21: „heu me, qui dirupta nobili femina bestiis objectus munus instructurus sum mei domini." Quibuscum compara Plaut. Cas. 326: „ego edepol illam mediam diruptam velim."

Neque praetereo notum illum locum Apul. Met. X. 22. 20: „Sed angebar.... novissime quomodo, quamquam ex unguiculis perpruriscens mulier tam vastum genitale susciperet."
Plaut. Stich. 761 Sqq:

„celeriter
lepidam et suavem cantionem aliquam occupito cinaedicam,
ubi perpruriscamus usque ex unguiculis."

His adjiciendum est vocabulum „nuptiae" coitus

significatione ab utroque auctore adhibitum esse Apul. Met. VII. 21. 13: „ferinas aversa Venere invitat ad nuptias." Met. VIII. 11. 25: „placuit Thrasyllo scena feralium nuptiarum." Met X. 34. 31: „meisque praeclaris nuptiis destinatam " Confer. Plaut. Cas. 486: „dum ego cum Casina faciam nuptias."

Hic enim, „nuptias facere," ut passim apud Plautum, verbum nubendi nihil est nisi συνουσιάζειν.

Etiam plura vocabula restant utrique nostrorum auctorum propria significatione, quae dicitur, erotica.

„Morigerus" saepe et comicis et Apuleio obscoene positum est. Apul. Met. II. 5. 10: „tunc minus morigeros (agitur de juvenibus Pamphiles libidinosae voluptatis illecebras recusantibus).... in pecua et quodvis animal puncto reformat." Apol. 74: „emasculatoribus suis ad omnia infanda morigerus." Conf. Plaut. Cas. 896: „Quid agit Casina? Satin morigera est? Ol. Pudet dicere." Cist. 175: „facta morigera est viro," aliaque plura.

„Scitulus" dici potest de eo, qui expertus est in rebus obscoenis. Hac enim una ratione explicari potest Apul. Met. I. 7. 8: „ad quandam cauponam Meroen anum sed admodum scitulam deverto."

(scitulus hic non de forma sumi posse, quis est quin videat). Quam multus sit Plautus in vocibus „scitulus" „scitus" „scitule", supra jam vidimus, ut tamen exemplum hujus, de quo dicimus, usus apud Plautum afferamus, credo eam notionem optime apparere in Plaut. Merc. 1019.

„Amasio" et „amasius," de quorum vocabulorum terminationis discrepantia supra jam diximus, pertinent ad utriusque scriptoris rei veneriae vocabularium. Quod ad locos vide catalogum capitis primi.

Hanc in seriem etiam redigendum est vocabulum „Catamitus" (qualem ad amorem significandum usurpetur moneri non opus esse mihi videtur) Apul. Met. I. 12. 5: „hic est.... carus Endymion, hic Catamitus meus." Conf. Met. XI. 8. 12. Plaut. Men. 144.

De veris nuptiis auctores nostri habent unam alteramve locutionem ab aliorum oratione alienam. Talis vox est verbum conciliandi, quod proprie usurpatur de nuptiis Apul. Apol. 68: „puerorum avus invitam eam conciliare studebat alteri filio suo." Plaut. Trin. 386: „tute ad eum adeas, tute concilies, tute poscas." Trin. 442. Sq:

„meus gnatus me ad te misit, inter te atque nos adfinitatem ut conciliarem."

Nota Suetonium eadem locutione usum esse.

„Destinare" etiam de veris nuptiis usurpatur. Apul. Met. IV. 26. 27: „pacto jugali destinatus," quocum loco compara Plaut. Rud. prol. 45: „puellam destinat."

Notabilis est genitivus „dotis", qui occurrit Apul. apol. 92: „Pudentilla.... trecentis millibus dotis fuit contenta." Unus tantum locus mihi in promptu est, quem loco laudato comparare possum; legitur Plaut. Pers. 394: „dabuntur dotis tibi inde sescenti logi."

Huc pertinet locutio „fundare familiam," qualis legitur Apul. Met. VII. 6. 21: „decimo partus stipendio viri familiam fundaverat." Nonne pro commentario est locus Plautinus Most. 120 Sq.: „parentes fabri liberum sunt, et fundamentum substruunt liberorum."

Pro ingenua forma utrique auctori usitatum est vocabulum „liberalis". Apul. Met. IV. 23. 18: „virginem filo liberalem." Plaut. Pers. 521: „forma expetenda liberalem mulierem." Plaut. Epid. 43: „quia forma lepida et liberali captivam adulecentulam mercatus est." Mil. glor. 60, 967, Pers. 546.

In Apulei operibus nonnulla verba inveniuntur eundi et se conferendi, aliis scriptoribus non usitata.

Incipimus ab „(intro) se capessere," quod occurrit. Apul. Met. I. 22. 14: „et cum dicto rursum foribus oppessulatis intro capessit." Quae locutio Plauto est frequens. Vide Amph. 262: „pergam.... me domum capessere." Asin. 158, Bacchid. 113, 1077.

Deinde invenimus verbum „se facere" et „fieri". Apul. Met. V. 2. 12: „Psyche.... paulo fidentior intra limen sese facit."

Donatus ad Terentii Phorm. IV. 3. 30 (in editione Westerhoviana) scribit: „haec hinc facessat [pro hinc se faciat id est abeat. Huc se faciat, huc accedat, significat. Haec hinc facessat] pro cedat alias faciat. Ergo duas res significat hoc unum verbum. An hinc facessat, proverbialiter, quasi hinc faciat, Plautus, Argentum hinc facite. Huc te fac, dicitur pro, huc accede."

Locus Plautinus legitur in fragmentis incertarum comoediarum inedit. quam curaverunt Goetz et Schoell e. s. V. (XII.) inter fragmenta dubia et suspecta. „Fieri" Apul. Met. X. 32. 12: „haec ut primum ante judicis conspectum facta est."

Sequitur verbum „se penetrare," quod Plautus

primum de animantibus tum et de iis, quae anima carent, usurpavit. Illius rationis dicendi hoc est exemplum Trin. 276: „Quo illic homo foras se penetravit ex aedibus." Conf. Trin. 294, 314, huius est Truc. 44: „eaque intra pectus se penetravit potio." Apuleius in utroque genere dicendi Plautum imitatus est. Prioris generis exemplum legimus Apul. Met. VIII. 29. 25: „improvisi conferto gradu se penetrant." Posterioris exemplum est hoc Apul. d. d. Plat. I. 15: „ne esculenta et potulenta sese penetrarent."

Inter haec numeranda sunt verba eundi ferendique cum ablativo „curriculo," quae est comicorun solorum ratio dicendi. Apul. Met. X. 9. 18: „jussi de meis aliquem curriculo taberna promptam afferre." Plaut. Rud. 798: „i dum, Turbalio, curriculo adferto domo."

Apul. apol. 63: „Jussi curriculo iret aliquis." Plaut. Rud. 855: „abi sane ad litus curriculo." Conf. Plaut. Epid. 14, Mil. glor. 523, Most. 362, 929, Pers. 199, conf. Ter. Heaut. 733.

Nonnullae sunt dictiones, quibus significatur, quanti res ducatur. Perspicuum est eas etiam ex sermone plebeculae sumptas esse. Exstat apud Apuleium Apol. 21: „nauci non putare," quod

est imitatio usus Plautini, Bacchid 1002, 1041, Most. 1041, Truc. 611.

In eodem opere Apuleiano legitur c. 93: „ut eam pecuniam sine mora redderet in praediis vili aestimatis." Operae pretium est comparare Plaut. Epid. 51; „Quid istanc, quam emit, quanti eam emit? Th. Vili."

Apul. Met. I. 5. 3: „quod polliceris aequi bonique facio." Plautus non totam quidem locutionem habet, scribit tamen Mil. glor. 784: „aequi id facio."

Ut appellet aliquid nullius pretii, usurpat vocem „folia." Sic Apuleius dicit Met. I. 8. 17: „folia sunt artis et nugae merae." Ita Plautus foliis utitur de parvis initiis prae magnitudine earum rerum, quae postea evenient. Plaut. Men. 375: „folia nunc cadunt.... Tum arbores in te cadent."

Ut significet aliquem esse aut manere quodam loco Apuleius verba et Plauto frequentata usurpat, e. g. „habere" pro „habitare." Apul. Met. I. 21. 18: „cum uxore etiam calamitatis suae comite habet" (v. d. Vliet: cum uxorem etiam calamitatis suae comitem habeat), d. d. Plat. II. 23: „eam quod pie vixerit, praecipit fortunatorum habituram loco."

Plaut. Aul. prol. 5, Bacchid. 114: „quis istic habet?" Men. prol. 70. Truc. 246 et passim.

„incubare" eodem sensu utrique eorum proprium est. Apul. Met. VII. 7. 4: „nocte promota tabernulam quandam litori navique proximam [quam] vitatis maris fluctibus incubabant." Plaut. Cas. 110: „ruri incubabo usque in praefectura mea."

Ut dicatur, aliquem in proxima vicinia esse uterque eorum locutione utitur „de proximo". Apul. Met. XI. 23. 28. Plaut. Rud. 404.

Sunt quaedam locutiones timendi significatione, quae dignae sunt, quae notentur. Apul. Met. III. 15. 16: „paveo et formido solide." Plaut. Cas. 535: „et illud paveo et hoc formido."

„dividiae est alicui aliquid" Apul. apol. 28. Plaut. Bacchid. 770, 1033, Cas. 181, Merc. 615, Truc. 856, (conf. Turp. Com. 59).

„turbare" dicitur, ubi color paventis pallidus redditur timorque toto ex ore eminet. Apul. Met. I. 19. 11: „sic denique eum vitalis color turbaverat." Plaut. Epid. 560: „Quid est, quod voltus turbatust tuos?"

De eo, qui vel timore vel stupore mentis non plane est compos, legimus Apul. Met. III. 22. 18: „Sic exterminatus animi, attonitus in amentiam

vigilans somniabar." Plaut. Capt. 848: „Hic vigilans somniat."

Lucius mustela consopitus „inanimis et indigens alio custode paene ibi non erat." (Apul. Met. II. 25. 17 sq.), qua cum locutione comparare licet locum Plautinum Cist. 209, 210: „ita nubilam mentem animi habeo, ubi sum, ibi non sum, ubi non sum ibist animus."

Ad adhortandum aliquem metu cunctantem et dubitantem Apuleius utitur eadem qua Plautus, locutione „bono animo es." Apul. Met. VII. 12. 2. Plaut. Amph. 671, Cist. 73.

Memoranda etiam sunt haec verba Apulei Met. III. 22. 29: „Ain, inquit, vulpinaris amasio meque sponte asceam cruribus meis inlidere compellis" non quod Plautus quoque eandem locutionem usurpet, sed quia tamen verba Plautina in nostram memoriam revocant. Idque unus quisque statim perspiciet, si laudaverimus Plaut. mil. glor. 884: „tibi dixi, miles, quem ad modum potis sit deasciari." Eadem enim ludificandi notione posita sunt.

Huic locutioni addere possumus „deridiculo haberi" Apul. Florid. pag. 4. 4. Conf. Plaut. mil. glor. 92: „is deridiculost."

Apud utrumque auctorem occurrit „irrisui haberi."

De iis, quos spes frustratur, dicitur „frustra esse" Apul. apol. 19: „longe huius animi frustra es." Plaut. Amph. 974: „et servos et era frustra sunt duo." Bacchid. 840, Merc. 528, Pers. 140, Rud. 1255.

„esse in proclivi," quod usurpatur cum omnia facile proveniunt, Apuleius utitur d. d. Plat. II. 11. Legitur cum apud Plautum tum in aliis comicorum fabulis. Conf. Plaut. Capt. 336, Terent. Andr. 701, Naev. Com. 93.

A significatione, qua vulgo usurpatur vox „abstemius", plane diversa est ea, quae legitur Apul. d. d. Plat. II. 15. Hoc loco Apuleius vocabulo notionem dat avari, suisque rebus parcissimi. Nusquam alias cum illa significatione quidquam comparari potest, nisi locus Plautinus, qui legitur. Cas. 746, quique haec exhibet: „facite cenam mihi, ut ebria sit," quae verba nihil aliud significare possunt, nisi: „facite mihi cenam haud parcam sed lautam et opiparam." Ut „ebrius" et „abstemius" vulgato sensu contraria sunt, ita his locis notione translata praedita inter se opponuntur.

Hic illic notavimus interjectiones quasdam, a

comicis saepius usurpatas, ab Apuleio receptas. Talis est locutio comica „apage te." Apul. Met. I. 17. 7. Plaut. Most. 436, Trin. 267. (Conf. Ter. Eun. 904.)

„Em" (hem), qua interjectione vix ulla est usitatior comicis, occurrit Apul. apol. 25. cf. Plaut. Mil. glor. 365, Truc. 634, inter innumera alia, quae enumerare neque utile neque necessarium est.

Affirmandi causa Apuleius Met. I. 8. 21 scribit: „pol quidem tu dignus es extrema sustinere." Confer eandem auctam cumulatamque locutionem Plaut. Amph. 282: „credo edepol equidem dormire solem."

Commemorandum etiam est illud „pax" Apul. apol. 65: „pax, inquit," quocum conferas Plaut. Mil. glor. 808: „pax, abi."

Postremo locutionis „porro," qualis legitur Apul. Met. VIII. 29. 17: „porro Quirites, proclamare gestivi," nullum aliud exemplum reperire potui nisi Plaut. Amph. 376, ubi Colvius pro vulgata lectione „pro fidi Thebani" rescribendum censet „porro Thebani (hodie Leo dat: „pro fidem, Thebani cives" ex emendatione Aldi.")

Permulta restant, quae, cum in diversa genera referri non possint, ut mihi legenti sub oculos venerunt, ita commemorabo.

Urbs Athenae, quae, a Plauto, ut melius internoscatur adjectivo „Atticis" ornatur, etiam ab Apuleio „Athenae Atticae" vocatur. Apul. Met. I. 24. 1, Florid. 18. p. 29. 16. Plaut Epid. 502, Mil. glor. 100, Rud. 741, Truc. 497.

Apud utrumque commemoratur Dirce ab iratis infensisque juvenibus tauro vincta. Apul. Met. VI. 27. 5: „vidit, hercules, memorandi spectaculi scaenam non tauro sed asino dependentem Dircen aniculam." Plaut. Pseud. 199: „cras te quasi Dircam olim, ut memorant, duo gnati Iovis devinxere ad taurum, item ego te distringam ad carnarium." Fortuitum id esse potest. Ego equidem malim credere Apuleium huius loci memorem scripsisse, quod scripsit.

„facies" dicitur de forma omni et figura. Apul. Met. I. 6. 2: „quae facies?" Met. III. 23. 21: „nam mihi domina singula monstravit, quae possunt rursus in facies hominum talis figuras reformare." Met. III. 29. 28: „in asini faciem frena rodebam" Met. IV. 13. 7, Met. VII. 6. 24, Met. XI. 2. 9. Plaut. Capt. 646: „Sed qua faciest tuos sodalis Philocrates?" Cist. 71, Rud. 565, 1149, Trin. 903.

Magnae similitudinis sunt hi loci. Apul. Met. VI. 3. 1: „tunc genu nixa et manibus aram te-

pentem amplexa detersis ante lacrimis." Plaut. Rud. 695: aram amplexantes hanc tuam lacrimantes genibus nixae."

„Supplicium" ab utroque nostro usurpatur notione „doni", Apul. Met. XI. 16. 20: „tunc cuncti populi tam religiosi quam profani vannos onustas aromatis et cuiuscemodi suppliciis certatim congerunt." Plaut. Epid. 724: „Numquam hercle hodie nisi supplicium mihi das"

„tantus natu" occurrit apud Apuleium Apol. 10, ante eum usus erat Plautus Bacchid. 124.

„in medium" ponitur pro „in apertum" Apul. Met. X. 12. 14: „in medium procedit nuda veritas" Conf. Plaut. Amph. 223: „deinde utrique imperatores in medium exeunt."

„aes de malo habere" scribit Apuleius Met. IX. 7. 10. Plaut. Most. 863: „faciunt de malo peculium, quod nequeunt de bono."

„fidem arbitrari alicui." Apul. apol. 51: „cui ego fidem arbitratus.... haudquaquam videor de nihilo percontatus." conf. Plaut. Bacchid. 570: „si pergis parvam mihi fidem arbitrarier."

„compescere" pro „compercere" (quod Plautus etiam usurpat Poen. 219. conf. Turp. Com. 145.) Apuleius utitur Met. IX. 36. 12: „nec fugientibus

saltem compescunt." Plaut. Bacchid. 463: „compesce in illum dicere injuste." Conf. Apul. Met. I. 8. 2: „parce" inquit, in feminam divinam.

„sumere" usurpatur pro composito „consumere." Apul. Met. II. 5. 7: „nam simul quemque conspexit (ita van der Vliet, conspexerit, codices.) speciosae formae juvenem, venustate eius sumitur." Plaut. Pseud. 1268: „hunc diem sumpsimus prothyme." Conf. Trag. inc. fab. 8.

Verbum „inspicere" apud Apuleium et Plautum solos occurrit dictum de medicorum examine ad curationem necessario; haec notio optime perspicitur ex Apulei verbis apol. 51: „igitur cum ad inspiciundum mulier aegra curationis gratia ad me perducta sit e.q.s" Compara Plaut. Pers. 316: „inspicere morbum tuom lubet."

Apul. apol. 15: „procuraret ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret." Conf. Plaut. Bacchid. 498: „qui dedecorat te me amicosque alios flagitiis suis." Trin. 299: „nihil ego istos moror faeceos mores, turbidos, quibus boni dedecorant se."

„usurpare oculis" Apul. d. d. Socr. 20: „quod equidem arbitror non modo auribus eum verum etiam oculis signa daemonis sui usurpasse" et

„arioli vocem audiunt saepenumero auribus suis usurpatam" d. d. Socr. I: „quos quidem deos coelites partim visu usurpamus." Plaut Trin. 846: „quas ego neque oculis nec pedibus unquam usurpavi meis."

„objicere ob os" Apul. apol. 89, Plaut. Most. 618.

Apuleius saepe et diverso sensu verbum velitandi usurpavit, hoc tamen eodem, quo Plautus. Apul. apol. 2: „pollicitus ita facturum ne sic quidem quitus est, ut cominus ageret percelli sed et adversum te contumaciter eminus calumniis velitatur." Plaut. Men. 778: „nescioquid vos velitati estis inter vos."

Apul. apol. 6:

„Misi ut petivisti mundicinas dentium
. . . . . . . . . . . . . . .
Nequa visatur tetra labes sordium,
restrictis forte, si labellis riseris."

Conf. Plaut. Capt. 485 Sq:

„ne canem quidam irritatam voluit quisquam imitarier
saltem, si non arriderent, dentes ut restringerent."

„cornua vertere in aliquem" Apul. apol. 81: „superest ea pars epistulae, quae similiter pro me

scripti in memet ipsum vertit cornua." Conf. Plaut. Pseud. 1019 Sqq:

„metuo et formido male
ne malus item erga me sit, ut erga illum fuit,
ne in re secunda nunc mi obvertat cornua."

„ad incitas deducere." Ad incitas deduci dicitur is, qui in summam rerum difficultatem et inopiam redactus est. Apul. Met. III. 28. 24: „tunc opulentiae nimiae nimio ad extremas incitas deducti." Plaut. Poen. 907: „Profecto ad incitas lenonem rediget" (Et Lucilius ea locutione usus est.)

Apul. Met. V. 5. 9: „vestigium requirentes." (Met. VI. 2. 23.) conf. Plaut. Cist. 724: „vestigium hic requiro."

Restant eae locutiones, quas Apuleius ipsorum Plauti verborum memor in suum usum adhibuit.

Apul. apol. 3: „pudor enim veluti vestis." Eadem sententia est in Plaut. Most. 162 Sq:

„haecilla est tempestas mea mihi, quae modestiam omnem
detexit, tectus qua fui."

Apul. apol. 7: „impensius cetero corpore os colendum, quod esset animi vestibulum et orationis janua et cogitationum comitium."

Nonne veri est simile Apuleium sic scripsisse cum in memoria haererent verba Tranionis (Plaut. Most. 687 Sq) „huc concessero dum mihi senatum consili in cor convoco" et alii tales loci Plautini, inter quos compara Epid. 159 Sq, Pseud. 572.

Apul. apol. 85: „at enim tibi a filio jam adulto acerbiores morsus viventi et videnti offeruntur." conf. Plaut. Most. 427: „ludos ego hodie vivo praesenti hic seni faciam."

Apul. Florid. 15: „verbaque quae volantia poëtae appellant." Inter eos poëtas, quos nos etiam nunc habemus, Plautus scribit (Amph. 325 sq) „Merc.: Vox mi ad aures advolavit. Sos.: Ne ego homo infelix fui, qui non alas intervelli volucrem vocem gestito."

Apul. Florid. 16 p. 25. 8: „praefascine (sic. F φ) dixerim" (quod idem est atque absit invidia verbo) Plaut. Asin. 491: „praefiscine hoc nunc dixerim."

Apul. Florid. 18: „nihil quicquam homini tam prosperum divinitus datum quin ei tamen admixtum sit aliquid difficultatis, ut etiam in amplissima quaque laetitia subsit quaepiam vel parva querimonia conjugatione quadam mellis et fellis."

Plaut. Cist. 71: „Namque ecastor Amor et melle et felle est fecundissimus."

Apul. Met. II. 10. 4: „dulce et amarum gustulum carpo" conf. Plaut. Pseud. 63: „dulce amarumque una nunc misces mihi."

Apul. Florid. 16: „Enimvero jam dixisse rebus humanis valere et plaudere." Plaut. Bacchid. 1211, Epid. 733, Men. 1162, Pers. 858, Truc. 968.

Apul. Met. III. 21. 7: „ab imis unguibus sese totam adusque summos capillos perlinit." Conf. Plaut. Epid. 623: „usque ab unguiculo ad capillum summumst festivissima."

Apul. Met. II. 18. 28, X. 26. 27, XI. 17. 19: „ungue latius digredi." Conf. Plaut. Aul. 57: si.... unguem latum excesseris."

Apul. Met. XI. 28. 29: „ergo duritia paupertatis intercedente, quod ait vetus proverbium, inter sacrum et saxum positus cruciabar." Plautus Capt. 616:

„nunc ego omnino occidi."

nunc ego inter sacrum saxumque sto nec quid faciam scio."

conf. Cas. 970 ubi versus interpolatus est.

Attamen ne omnia, quae adtulimus incerta et inania videantur, iis adjungimus, eos locos, ubi

Apuleius nominatim suum auctorem laudat. Pauca sunt sed certa sunt.

Apul Florid 2: „nec ista re cum Plautino milite congruebat qui ita ait:

„Pluris est oculatus testis unus quam auriti decem."

Quae verba leguntur in opere Plautino Truc. 490.

Apul. Florid 18: „item ille comicus:

„Perparvam partim postulat Plautus loci
De vestris magnis atque amoenis moenibus
Athenas, quo sine architectis conferam."

Versus sunt ex Truculenti prologo.

d. d. Socr. p. 15: „prorsus, quod Plautinus miles super clypeo suo gloriatur:

praestringens oculorum aciem hostibus."

Quis initium Militis gloriosi (v. 4) ignorat?

# THESES.

## I.

Apul. Met. I. pag. 15. 11. sqq:

Sic denique eum vitalis color turbaverat, ut mihi, nocturnas etiam Furias illas imaginanti, prae metu frustulum panis, quod primum sumpseram quamvis admodum modicum mediis faucibus inhaereret ac neque deorsum demeare neque sursum remeare posset.

Mavelim: rursum remeare.

## II.

Apul. Met. I. pag. 20. 9:

„annonam curamus" ait „et aedilem gerimus et si quid obsonare cupis [operam] utique commodabimus."

[operam], quod v. d. Vliet inseruit, ejiciendum.

## III.

Apul. Met. II. pag. 28. 22:

At vero — quod nefas dicere neque sit ullum huius rei tam dirum exemplum — si cuiuslibet eximiae pulcherrimaeque feminae caput capillo spoliaveris et faciem nativa specie nudaveris, licet illa caelo dejecta, mari edita, fluctibus educata, licet inquam Venus ipsa fuerit, licet omni Gratiarum choro stipata et toto Cupidinum populo comitata et balteo suo cincta, cinnami fraglans

et balsama rorans calva processerit, placere non poterit nec Vulcano suo.

post „rorans" insere „si".

## IV.

Apul. Met. IV. pag. 70. 28:

certus atque obstinatus nullis verberibus ad ingrediundum exsurgere, immo etiam paratus non fusti tantum [resistere] sed [ne] machaera perfossus occumbere.

Lege: immo etiam paratus non fusti sed tantum machaera perfossus occumbere.

## V.

Apul. Met. IV. pag. 93. 1:

dei milesii vetustissimum percontatur oraculum et tanto numine precibus et victimis [propitiato] ingratae virgini petit nuptias et maritum.

Dele [propitiato] et ante „tanto" insere „a".

## VI.

Apul. Met. V. pag. 96. 25:

nos, quarum voces accipis, tuae familiae sedulo tibi praeministrabibus nec corporis curatae tibi regales epulae morabuntur.

pro „curatae" scribendum „cura acta".

## VII.

Apul. Met. V. pag. 118. 9:

quid tale, domina, deliquit tuus filius, ut animo pervicaci voluptates illius impugnes et quam ille diligit tu quoque perdere gestias.

sensus restituendus est scribendo: „quoquo pacto".

## VIII.

Apul. Met. IX. pag. 209. 18:

„tu autem" inquit „tam mollis ac tener et admodum puer defraudatis amatoribus aetatis tuae flore mulieres adpetis atque eas liberas et conubia lege sociata corrumpis.

pro „conubia lege sociata" lege „conubiali lege sociatas".

## IX.

Apul. Met. X. pag. 228. 11.

eximie enim ad veritatis imaginem [simulata].

pro [simulata]" legendum „imaginata".

## X.

Apul. Met. XI. 256. 2:

incunctanter ergo dimotis turbelis alacer continare pompam meam [mea] volentia fretus et de proximo clementer velut manum sacerdotis osculabundus rosis decerptis pessimae mihique detestabilis jamdudum beluae istius corio te protinus exue.

Immovero: „exues".

## XI.

Apul. Met. XI. pag. 253. 15:

mori saltem liceat, si non licet [hominem] vivere.

non „hominem" sed „vere" est inserendum.

## XII.

Apul. Met. XI. pag. 275. 7:

„an tu" inquit „si quam rem voluptati struendae moliris, laciniis tuis nequaquam parceres, nunc tantas caerimonias aditurus impaenitendae te pauperiei cunctaris committere?

Lege: „an tu" inquit „qui, si quam rem e. q. s.

## XIII.

Apul. apol. 9. (Kr.):

„quis umquam fando audivit tam similem suspitionem".

Legendum pro „similem" „subtilem".

## XIV.

Apul. apol. 22:

ipse..... Hercules..... neque una pelle vestitior fuit, neque uno baculo comitatior.

Verba corrupta, nisi mutes „neque quam una pelle vestitior fuit neque quam uno baculo comitatior."

## XV.

Apul. apol. 54. i. f:

praesertim quod conditum cumque, quod obsignatum, quod inclusum domi adservatur, id omne eodem argumento magico dicetur.

insere post „praesertim": „si".

## XVI.

Apul. florid. 17. pag. 26. 10. (kr):

ceterum vox cohibita silentio perpeti non magis usui erit quam nares gravedine oppletae, aures spiritu obseratae, oculi albugine obducti.

Lege: „aures spurcitie obseratae".

## XVII.

Apul. d. d. Socr. 2 (Goldb. pag. 6. 23 sq):

quorum in numero sunt illi duodecim numeroso situ nominum in duo versus ab Ennio coartati.

pro „situ" legendum „positu".

## XVIII.

Curt. Ruf. III. 3. 13:

Sequebatur haec equitatus duodecim gentium variis armis et moribus.

non „moribus" sed „decoribus" scribendum.

## XIX.

Curt. Ruf. IV. 14. 4:

intempesta nocte opprimi posse hostes discordes moribus linguis ad hoc somno et improviso periculo territos.

Supplendum post „somno": „sopitos".

## XX.

Cic. pro. Rosc. Com. 4. 10:

Hic tu si amplius HS nummo petisti, quam tibi debitum est, causam perdidisti.

Dele emblema HS.

## XXI.

Suet. Tib. 3:

Ex hac stirpe Tiberius Caesar genus trahit et quidem utrumque.

Scribendum: „utrimque".

## XXII.

Hom. Il. IX. 165:

*ἀλλ ' ἄγετε κλητοὺς ὀτρύνομεν*

mutandum in „*ἀλλ' ἄγετ ' ἐκλεκτούς.*"

## XXIII.

Herod. VII. 22:

*ὁ γὰρ Ἄθως ἐστὶν οὖρος μέγα τε καὶ ὀνομαστόν, ἐς θάλασσαν κατῆκον, οἰκημένον ὑπ ' ἀνθρώπων.*

*ὑπ' ἀνθρώπων*, quod delevit van Herwerden non est glossema, sed evanuit inter substantivum et praepositionem adjectivum *παντοδαπῶν*.

## XXIV.

Xen. Cyr. I. 4. 18:

*οὕτω δὲ ἐξοπλισάμενος προσήλασε τῷ ἵππῳ.*

Immovero „*τῷ παππῷ*."

## XXV.

Xen. Hell. II. 4. 27:

*εἰ δὲ καὶ τοῦτο δεῖ εἰπεῖν τοῦ μηχανοποιοῦ τοῦ ἐν τῷ ἄστει, ὃς* e. q. s.

Lege: *ἔτι δὲ καί* e. q. s.

## XXVI.

Antiph. *περῖ τοῦ Ἡρῴδου φόνου*. § 41:

*ἀλλὰ τὸ τελευταῖον ἀπῴμωξεν ἐμέ τε καὶ αὑτόν ὡς ἀδίκως ἀπολλυμένους, οὐ χάριτι τῇ ἐμῇ — πῶς γάρ; ὅς γε κατεψεύσατο — ἀλλ' ἀναγκαζόμενος.* e. q. s.

pro *ὅς* lege *οὗ*.

## XXVII.

Id. *περὶ τοῦ Ἡρῴδου φόνου* § 48:

*ὥστε πολλῷ ἂν δικαιότερον ὑμεῖς ἐκρίνεσθε ἢ ἐγὼ νῦν φεύγω ὑφ' ὑμῶν.*

Post *ὑμεῖς* insere *ὑπ' ἐμοῦ*.

## XXVIII.

Andocid. *περὶ τῶν μυστηρίων* § 11.

*καὶ ἐὰν ψηφίσησθε ἄδειαν (ᾧ) ἐγὼ κελεύω θεράπων. κ. τ. λ.*

Pro *ᾧ*, quod inseruit Blass, potius supplendum *οἷαν*.

## XXIX.

Isocrat. Aegin. § 29:

*πρὸς οὓς ἐγὼ τοιαῦτ' ἀπεκρινάμην ὅτι πολὺ ἂν θᾶττον ἑλοίμην ἀποθανεῖν ἢ κεῖνον περιιδεῖν δι' ἔνδειαν τοῦ θεραπεύσαντος πρὸ μοίρας τελευτήσαντα.*

Insere post *θᾶττον* pronomen *αὐτός*.

## XXX.

Soph. Ant. 58 Sqq:

*νῦν δ' ἂν μόνα δὴ νὼ λελειμμένα σκόπει*
*ὅσῳ κάκιστ' ὀλούμεθ', εἰ νόμου βίᾳ*
*ψῆφον τυράννων ἢ κράτη παρέξιμεν.*

Pro *ἢ κράτη* restituendum *ἐγκρατῆ*.

## XXXI.

Het bericht aangaande een poging om vrede te sluiten door de Lacedaemoniers gedaan na de nederlaag bij de Arginusen, is een herhaling van een bericht omtrent een zelfde poging na den slag bij Cyzicus.

## XXXII.

Een verbond tusschen Mithridates en Sertorius heeft nooit bestaan.

## XXXIII.

Verandering van de eischen voor het eindexamen der gymnasia is noodzakelijk.

## XXXIV.

**Seneca's leven was in strijd met zijn leer.**